

SELECTA EX LATINIS SCRIPTORIBVS
IN VSVM SCHOLARVM
Vol. I

M. ATTII PLAVTI
AVLVLARIA

ad recentiores editiones exegit
animadversionibus auxit
et scholasticis praelectionibus accommodavit

THOMAS VALLAVRIVS

DOCTOR DECVRIALIS LATINAE ELOQVENTIAE TRADENDAE
IN R. ATHENAEO TAVRINENSI

CVRATOR STVDII HISTORIAE PATRIAE

PROVEHENDIS

EDITIO QVINTA



BIBLIOTHECA	
ISTITVTIO	
MAIOR	
Scotiale	9
Polshoro	H
Num	39

AVGVSTAE TAVRINORVM
OFFICINA SALESIANA

Sti Petri Arenarii — Nicaeae ad Varum — Bonis Auris in America

AN. M. DCCC. LXXXIV.

TIPOGRAFIA E LIBRERIA SALESIANA

TORINO, Via Cottolengo N. 32.

1883 — OPERE SCOLASTICHE — 1884

TEOLOGIA.

Alphonsi Theologia moralis 7 v. L.	10	—
Gousset Idem 2 v.	» 5	—
*Perronis Comp. theolog. 2 v.	» 8	—
*Thomae (S.) Summa theolog.	» 30	—

FILOSOFIA.

Allievi Logicae institutiones	» 1	25
— Metaphysica	» —	50
*Avogadro, Saggio sul socialismo	» 8	—
*Beccaria, Pront. di lett. e filos.	» 2	50
*Cornoldi, Filosofia scolastica	» 5	—
*Finazzi, Della coltura dell'inf.	» —	50
*Giusiana, Del Cattol. nelle lettere	» 1	75
*Gras, L'istitutore dei convitti	» 1	—
Platone, Il Gorgia ed il Cratilo	» 4	—
— Il Fedro, il Protag. e l'Ippia	» 4	—
*Bayneri, Principii di metodica	» 2	25
*Ventura, Corso di Filosofia crist.	» 10	—

LETTURE MORALI.

Martinengo, Morale e storia	» 1	25
— Morale	» —	75
— Storia	» —	75
— Ginetta e Claudina illustr.	» 3	—
— Il Fabbro di Nazaret illustr.	» 4	—
— Idem edizione economica	» —	75
— Il Maggio in campagna	» —	75
— Madre e Matrigne. Romanzo	» 1	50
— Roma. Lett. descrit.	» —	50
— La gran bestia	» —	30
— La coda della gran bestia	» —	30
— Dette unite	» —	60
— Il gran passo	» —	50
Pellico, Le mie prigioni	» —	75
— Dei doveri dell'uomo	» —	30
— Cantiche e poesie	» 1	25
— Epistolario	» 1	25
— Tragedie	» 1	25
— Lettere famigliari italiane	» 2	—
Rayneri, Letture famigliari	» —	80
Vallauri, Novelle	» 2	50
— Osserv. sul Sall. dell'Alfieri	» —	40
— Osserv. sul Sall. dell'Alfieri	» 8	—
Wiseman, Fabiola illustrata	» —	8
— Ediz. in carta fina	» 10	—

SCIENZE FISICHE.

*Belasio, Verità e geologia	. . . L.	2	50
*Hellmuth, Fisica popolare	. . . »	2	50
Malacarne, Botanica compendiata	»	1	60
Sunti di fisica »	1	—

STORIA E GEOGRAFIA.

Barberis, Storia antica orientale	»	1	—
— Storia greca	»	1	40
Bosco, Storia sacra illustrata .	»	1	25
— Piccola Storia sacra . . .	»	—	40
— Storia ecclesiastica	»	—	80
— Storia d'Italia su carta fina	»	3	—
Cronologia contemp. e success.	»	—	50
*Fabre, Dizionarietto di mitologia	»	1	20
*Gallini, Storia antica; 3 volumi	»	6	45
* — » orientale	»	1	75
* — » greca	»	1	20
* — » romana	»	3	50
*Marmocchi, Atl. geogr. in 9 car.	»	2	—
* — Atl. di geogr. ant. in 10 car.	»	2	—
* — Atlant. ecc. in 25 carte .	»	3	75
* — Idem in 56 carte	»	10	—
* — Corso di geog. storica .	»	24	—
* — Compendio di geog. univ.	»	36	—
*Predari, Dizionario geografico .	»	5	—
*Pulina, Corso di geografia p. 1 ^a	»	2	—
* — » » p. 2 ^a	»	2	—
*Terreno, Comp. di storia d'Italia	»	1	50
* — Idem di Storia Romana .	»	1	10
* — Id. d'Ital. e d'Eur. medioev.	»	2	—
* — Idem moderna	»	2	50
Vallauri, Storia delle soc. lett.	»	4	—
— Storia della Poesia in Piem.	»	10	—

LINGUA GRECA.

•Cianfrocca, Fonol. della ling. gr.	»	2	—
•Pechenino, Gram. della ling. gr.	»	1	75
• — Esercizii con antologia . . .	»	1	75
• — Verbi o form. verb. diff. ed irr.	»	2	
• — Manuale delle declinazioni	»	1	
— Vocabolario italiano-greco .	»		
— Alfabeto greco	»		

TESTI GRECI, VERSIONE E NOT

*I Omero, Ettore ed Andromaca	» —
*II. — I primi cento ver. dell'III.	» —
*III. Senof. Detti memor. lib. I, c. I	» —
*IV. — Il I capo della Ciroped.	» 60
*V. — Il I capo del I. III. dell'Anab.	» 50
	» 70

AVLVLARIA

Primum ego officium scriptoris existimo , ut titulum suum legat, atque identidem interroget se, quid coeperit scribere, sciatque, si materiae immoratur, non esse longum : longissimum , si aliquid arcessit atque adtrahit.

PLIN. *Epist.* v. 6.

M. ATTII PLAVTI
AVLVLARIA

ad recentiores editiones exegit
animadversionibus auxit
et scholasticis praelectionibus accommodavit

THOMAS VALLAVRIVS

DOCTOR DECVRIALIS LATINAE ELOQVENTIAE TRADENDAE
IN R. ATHENAEO TAVRINENSI
CVRATOR STVDII HISTORIAE PATRIAE
PROVEHENDIS

EDITIO QVINTA



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA SALESIANA
San^{ti} Petri Arenarii — Nicaeae ad Varum — Bonis Auris in America
AN. M. DCCC. LXXXIII.

PROPRIETÀ DELL'EDITORE

OSVÄLDVS BERRINIVS

LECTORI SALVTEM.

Multi sunt, humanissime lector, quibus persuaderi non potest utilitas, quae ex studio antiquitatis classicisque, quas aiunt, disciplinis existit, dolentque caecum inveteratae consuetudini obsequium, quo fit, ut tot melioris aetatis anni, tantae humani ingenii vires circa ea studia irreparabili iactura tamdiu iam tamque universa animorum aberratione consumantur. Nempe, ut ipsi aiunt, in tanto hoc praesentis vitae fervore, in tanta humani generis ad propositam metam festinatione, quis probet ineptam perniciosamque moram, imo enim regressum ad eas aetates, quae iampridem mortuae compositaeque sunt? Dum tempus ad ea, quae undi-

que urgent, deficit, quis ea repetere laudet, quae revocari nequeunt, quae, ut dudum fuerunt, iam nulla sunt? Quis sanus respicere velit ad principia, quum metam prospiciens tam longe adhuc videat abesse? — Scilicet, dum isti nimis sapere volunt, faciunt ut minus sapiant, nimisque humili et angusto intuitu humanum genus, eiusque vitam, futurasque sortes contemplantur. Etenim si eorum mentes latius paterent, ipsos non fugeret, homines quidem mori hominumque secula interire; at genus ipsum humanum non intermissam inde ab originibus vivere vitam, aetatesque huius eadem ratione inter se contineri, qua singulorum hominum dies ad singulorum vitam explendam continuantur. Et qua ratione pueritia, adolescentia, et ceterae, quae sequuntur, hominis aetates arctissime inter se cohaerent, non modo ut altera alteram excipiat, sed ut altera ab altera praeparetur, pendeat atque informetur; sic etiam fieri de totius humanae sobolis vita. Profecto ut singuli homines, quod in pueritia atque adolescentia fuerunt, id, etiam quum ad virilitatem pervenere, esse omnino non cessant,

sed aetas, quae sequitur, earum, quae praecesserunt, explicatio est quodammodo atque maturitas; eodem prorsus exemplo antiquitas nihil aliud est, quam infantia ac pueritia adolescentiaeque generis humani. Etenim, ut in homine corpus quidem immutatur, pristinis moleculis abeuntibus, novis accedentibus, ita ut modico annorum spatio iam non ii simus qui antea fuerimus, animus vero ipse semper idem restat, nisi quantum facultates explicat suas ac moderatur; sic humana secula sibi iugiter succedunt atque intereunt, humanitas vero ipsa permanet usque, cursumque a Deo praestitutum prosequitur non intermissum. Quare, ut plurimi refert singulorum hominum vitam, quae antea fuerit, nosse, ad eam, quae futura est, recte informandam, atque adeo res omnes, ut optime regi possint, ad origines et principia sunt usque revocandae; sic genus etiam humanum ad praeterita tempora respiciat oportet, ut pateat facilius qua et quorsum sibi sit progrediendum. Nimirum haec veritas latissime patet atque ad singulos homines non magis pertinet, quam ad singulos populos o-

innemque adeo humanam familiam; utque illis vitam anteactam identidem cogitatione repetere salutare est atque omnino necessarium, sic populis etiam generique humano utile ac necessarium est studium antiquitatis. Nec proinde iacturam in eo temporis atque laboris fieri putandum est; sed humanam potius virtutem acui et recreari, ut apud illum fit, qui largum intervallum transiliturus recedit, ut impetum ad saltum validiorem assumat. Equidem puto a nulla magis causa esse repetendos errores doloresque, quibus quum singuli homines, tum civiles eorum societates perpetuo laborant, quam quod utrobique haec praeteritae vitae reputatio ut plurimum desideratur. Ex hoc scilicet fonte omnis utilitas manat, ob quam historia atque ἀρχαιολογία sapientibus tantopere probantur. Non cineres illae atque ossa agitant otiosa curiositate, sed primordia praeteritasque vitae suae aetates humano generi in memoriam revocant, ut quae inde existunt ad praesentem futurumque vitae cursum moderandum capiat documenta; quo quidem officio nullum esse censeo magis salutare.

Desinant iam igitur isti antiquitatis oblatratores huic studio inutilitatem exprobrare, velut circa mortuam rem inani opera versaretur, cadaverque tractaret nunquam revicturum; mortuum enim nequit appellari, quod hodiernae futuraeque humani generis vitae pars est adeo necessaria.

Quae quum ita sint, nullone tandem fundamento inniti istorum querelas dicemus, credemusque, si antiquitatis studium hanc semper prae se dignitatem utilitatemque tulisset, tot illud detrectatores fuisse inventurum? Ita equidem non puto, et quum haec studia laudo ad ipsa tantum studia respicio, non vero ad hominum imbecillitatem, qui re optima saepe perperam abuti consueverunt. Hinc nimirum factum est, ut profani complurimi veneranda antiquitatis penetralia adirent, non sacrum inde ignem relaturi, lucem caloremque vitalem per seculorum seriem perpetuantem, verum minutulam quamque supellectilem puerili curiositate exploraturi. Unde nil mirum est, quod nugis graves atque inaniis oppleti redire inde consueverint, unde generosiores ad nobilissima et salutaria my-

steria initiati revertuntur. Faciunt profecto, ut de Pygmaeis est fabulatum, qui circa herculeam clavam imbecillo labore trepidarent, qua heros armatus tantos tamque salutares labores exantlaverat.

At facite ut ad eadem studia mentes animique accedant validiores, quos philosophiae lumen illustret, vel poëseos foveant igniculi; tunc enimvero Machiavelli vobis existent Alferiique, qui aeternas inde leges referent, quibus divini numinis providentia humani generis vitam moderatur, ac spiritus illos magnos, quibus senescentes populorum animi ad grandia excitari novamque, pene dixerim, vitam revocari queunt.

Verum, ut id fiat, quid opus est? Quo animo nobis antiquitas est adeunda? Qua face prae-lucendum est inter rudera praeteritarum aetatum? Qua formula erunt excantandi cineres illi, si ita loqui fas est, ut nobis reviviscant? Hac nimirum, nisi fallor, ut hodiernae humanitatis sensus atque cognitio ad antiquitatis studium diligentissime adhibeatur (1). Tunc

(1) Gioberti *G. M. cap. 9.*

enimvero ex foecundissimo fortunatoque connubio uberrima utilitatum copia dimanabit.

Ita est, humanissime lector; praeteritae aetates mortuae sunt, et mutae proinde atque infocundae, nisi praesentis vitae spiritu quodam afflentur; rursus praesens vita non integra est, sed caeca procedit atque ἀκεφάλη, si ab antiqua prorsus secernatur. Ex quo nimirum confit, ut altera sine altera esse nequeat, verumque antiquitatis studium nullum sit, nisi recentioris humanitatis cognitio accedat; nulla autem huius perfecta cognitio quae illius studio omnino destituatur. Contra vero, si utraque simul coëat atque amplexetur, mirum quanta illae luce mutuo perfundantur.

Porro, quum ita se res habeat, quid nobis praeteritarum aetatum penetralia satius patefacere queat, humanitatemque apud illas, qualis esset, revelare, quam litterae ipsae humaniores, quae vel ipso nomine produnt, quanta sibi sit cum humanae naturae conditionibus cognatio, quantumque idcirco ad eas penitissime exprimendas valeant? Neque, quum id dico, ad historiam tantum respicio, quae id aperte pro-

fitetur, sed ad poësim quoque, imo equidem nescio an non ad eam in primis, qua nihil humanae naturae intrinsecum magis magisque popolare esse videtur. Namque quum in hominum natura non ratio tantum, sed animus et φαντασία vel maxime dominantur, manifestum est, quam ad eam optime sentiendam exprimendamque nemo magis polleat, quam poëta, quem ex intelligendi sentiendique atque imaginandi facultatibus, quodam veluti concentu contemperatis, existere novimus. Equidem nullos priscarum aetatum sinceriores vividioresque esse pictores, quam Homeros Aligheriosque, opinor.

Quod si haec de poësi in universum valent, quanto magis ad δράματικὴν atque ad comicam praesertim pertinere dicemus, cuius opera circa hominem ipsum tota versatur? Nec mirum, quod comoediam praecipue laudandam hoc nomine censeam; tragoedia enim ut hominem potius generaliter intuetur et refert, sic ad humanitatem omnem atque omnia tempora quodammodo pertinet. At comoedia, quae sibi humanae vitae consuetudinisque effigiem peculiari aetati propriam exprimendam maxime as-

sumit, maiori, ut ita dicam, historica luce atque virtute pollere mihi videtur. Profecto res hominum gestae, quae historiae propria materies sunt, semina radicesque in eorum animis habent, quos idcirco novisse apprime oportet, ut facta ipsa sincera cognitione assequi fidelique pensare trutina queas. At enim scimus, quoties homines e domestica vita in publicum, veluti in scenam, prodeunt, personam eos quodammodo assumere summaque cura mentem animosque dissimulare consuevisse. Hinc nimirum tam difficile historico officium praebetur; hinc rursus tantum excellentium vivorum vitae describendae pretium accedit. Porro eodem nomine cur non erit comoedia in primis laudanda, quae domesticae nobis vitae secreta recludens, sincerissimam ac proinde utilissimam praeteritorum hominum imaginem refert?

Hinc patet, quanti sit facienda opera eorum, qui antiqui nobis theatri dramata explanare aggressi sunt; inter quos nobilissimum sane locum obtinere Th. Vallurius videtur, qui id de plautinis fabulis ita praestitit, ut romanae comoediae parentem, non adultioribus tantum,

sed adolescentulis etiam facile et sine periculo adeundum praebuerit. Scilicet penitissimo, quo pollet, antiquitatis sensu ab ipsis fontibus diuturno labore quaesito, tum comica quadam sagacia et facultate, quam hominis ingenio insitam et amici norunt et multa ab eo facitissime scripta testantur, tam medullitus se in Plautum potuit penetrare, ut illum nobis sincerissime referre liceret. Retulit autem atque interpretatus est ita commode et eloquenter, ut Aemilius ille Egger, graecis litteris in parisino athenaeo tradendis doctor praeclarissimus idemque vir antiquae prorsus artis atque elegantiae, summaque de hisce rebus auctoritate, scribere de nostro haud dubitaverit: *Vous êtes du petit nombre de ceux, qui commentent les classiques latins comme ils auraient été commentés au temps de Cicéron.* Quo facto mire scholarum nostrarum commoditati consuluit vir tot iam nominibus de illis optime meritus, qui hac nonnullarum e plautinis fabulis recensione castigatissima (1) praesidiisque omnibus instructa

(1) De Plautinis fabulis, a Th. Vallaurio editis, haec

uberem iisdem fontem patefecit, unde germanis-
simam sermonis, ingenii humanitatisque latinae
cognitionem haurire queant.

Dab. Augustae Taurinorum XVI cal. de-
cembres an. MDCCCLXIV.

habet AE. Benoist , vir eruditissimus in praefatione ad
Comoediam, cui titulus *R u d e n s* (*Paris, Durand, 1864*):
*Cette édition est extrêmement recommandable par le
choix des notes, et l'élégante latinité des préfaces et
des notices.*

THOMAS VALLAVRIVS

L S.

Pluries equidem sum miratus, in tanta doctissimorum hominum copia, qui ad romanos scriptores illustrandos animum adpulerunt, omnino perpaucos enumerari, qui in opere suscepto sic elaborarint, ut adolescentum studiis cumulatissime satisfacerent. Alii enim eo potissimum spectarunt, ut menda expungerent, quae librariorum ignorantia in vetustissimos codices irrepsissent; et minutissima quaeque diligenter persecuti, variis lectionibus pene liberos obruerent. Alii interiorem artis rationem penitus inspecturi, in subtiles adeo disceptationes abiere, ut suis se acuminibus ipsi compungentes, quasi tenebras quasdam rebus offunderent. Alii extimam stili partem tantummodo respicientes, in verbis et locutionibus expendendis ferme consenuerunt. Plerique vero obscurioribus locis praetermissis, in quos identidem offenderent, minimum momentum ad planiorem viam tironibus muniendam attulisse videntur. Quod quidem cum generatim de latinorum scriptorum scholiastis, tum vero praesertim de fabularum Plautinarum enarratoribus licet affirmare. Quapropter ut huic studiosorum incommodo pro vi-

рили parte mederer, statui comoedias M. Attii Plauti, quotquot hodieque extant, evulgare, iis animadversionibus auctas, quae adolescentibus nostris, ad politiores litteras contendentibus, lumen quodammodo praeferant. Huius consilii mei rationem paucis habeto, candide lector.

Primum omnium nonnulla praefatus de fabulae argumento, si quae voces aut dictiones occurrant a communi loquendi usu paullulum abhorrentes, eas ita explicandas atque excutiendas aggredior, ut illarum sensum studiosi penitus assequantur. Etiam discrimen diligentissime notandum existimavi, quod inter verba saepe intercedit, quae primo statim ad spectu unum atque idem videntur significare. Quo facto lectores verborum proprietati, nihil ferme sentientes, adsuescent. Ad haec, quaecumque ad veterum mores, instituta, leges et religionem pertinent, pro re nata in medium adtuli, atque arrepta occasione, de singulis theatri partibus, et de praeceptis, ad quae comoedia est exigenda, breviter disserui. Item studiosos identidem iubeo animadvertere, quam apte, quam festive, quam graphice, quamque ad veritatem accommodate diversorum hominum mores et ingenia depingat poëta. Postremo ne quid legenti desiderandum restaret, Plautinas comoedias cum recentiorum fabulis comparavi, qui ad Sarsinatem poëtam, tamquam ad absolutissimum exemplar, respicere non dubitarunt.

Harum rerum specimen habes in *Aulularia*, quam si tibi probatam sensero, candide lector, alacriori animo ad propositum opus perficiendum enitar. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum III. nonas februarias
An. M. DCCC. LIIL.

DE M. ATTIO PLAVTO (*)

M. ATTIVS PLAVTVS, Sarsinae natus in Umbria anno urbis conditae D. XXVII, vix tertium et quadragesimum aetatis annum ingressus decessit. Hic quum admodum adolescens ad comoedias scribendas animum adiunxisset, mox divitiarum studio ductus ad mercaturam se contulit. Sed adversa usus fortuna, pauper Romam rediit; ibique ut quotidianum sibi victum pararet, ad circumagendas molas manuarias seu trusatiles, quas vocabant, pistori operam suam locare coactus fuit. Quumque molam in pistrino versaret, horis subsecivis, quibus ab eo labore otium erat, ad intermissum comici poëtae officium dicitur se se revocasse.

De numero fabularum, quas Plautus exaravit, mirum quantum dissentiant critici inter se. Alii enim unam et viginti enumerant, alii quinque et viginti, pars quinque et triginta, vel quadraginta; nec desunt qui centenas et triginta. Quum autem in tanta opinionum discrepantia nihil omnino certi possimus affirmare, satis sit dicere, aetate nostra viginti superesse fabulas, quae omnium consensu a Plauti ingenio profectae fuisse creduntur. In singulis enim eadem ratio apparet. Harum vero tituli

(*) Ex *Historia Critica Litterarum Latinarum Thomae Vallaurii*, editio sexta Augustae Taurinorum ex Officina Asceterii Salesiani an. M. DCCC. LXIII, in-8°.

sunt : *Amphitruo*, *Asinaria*, *Aulularia*, *Bacchides*, *Captivi*, *Casina*, *Cistellaria*, *Curculio*, *Epidicus*, *Menaechmi*, *Mercator*, *Miles gloriosus*, *Mostellaria*, *Persa*, *Poenulus*, *Pseudolus*, *Rudens*, *Stichus*, *Trinummus*, *Truculentus*.

Festivissimi ingenii vir fuit Plautus, et totius latinae comoediae parens iure a doctissimis semper habitus est. Quamquam vero pleraque comoediarum argumenta graeco fonte derivavit, ita tamen Philemonem, Diphilum, Apollodorum, Epicharmum aliosque est imitatus, ut ab eorum vestigiis pro opportunitate recederet. Quod sane Umbro poëtae haud difficile fuit, qui singulari excogitandi vi atque acumine esset donatus. In nodi solutione interdum claudicat noster ; at spectatores dialogi lepore, et subitariis quibusdam casibus afficit, quos coniectura nondum prospexerant. Praeterea hominum ingenia et mores graphice depingit, omniaque venustissimis iocis adspersit.

Ad illius dictionem quod attinet, adeo pura et elegans visa est, ut Marcus Varro scribere non dubitaverit, Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si latine loqui voluissent. Quamvis autem eae locutiones apud Sarsinatem nostrum occurrant, quas ἀρχαϊσμός Graeci appellant, nativus tamen ille sermonis candor in eius fabulis elucet, quem alibi nequicquam quaeras.

Nec facit quod Horatius Plautinos numeros et sales improbaverit. Horatiana haec reprehensio aetati magis consentanea dicenda est quam vera. Quum enim tunc temporis per otia pacis graeca elegantia animadverti coepta fuisset, mirum quantum immutati civitatis mores in linguam influxerint. Quum autem quidpiam summe expoliturum in poëtis requireretur, quod recentioris aetatis cultum referret, Plautinae comoediae in calumniam inciderunt.

AVLVLARIA

MONITVM.

Ut omnes, vel maxime pueri, quorum gratia has Plautinas fabulas a Vallaurio, Viro Cl. enucleatas, iterum edendas curavi, sine ulla offensione et Aululariam possent oculis usurpare, optimum factu putavi, si ea omitterem, quae aut omnino obscena, aut minus saltem pudica e comici poëtae ingenio fuissent profecta. Ea enim lege hoc ego sum opus aggressus, ut et vos, iuvenes lectissimi, integrum, quoad eius fieri posset, comoediae nodum assequeremini, atque uberem inde aurei latini sermonis segetem hauriretis.

J. F. Sac.

DRAMATIS PERSONAE



LAR, prologus

EVCLIO, senex

STAPHYLA, anus

EVNOMIA, mulier


MEGADORVS, senex

STROBILVS, geminus servus

ANTHRAX	}	coci
CONGRIO		

PYTHODICVS, servus

LYCONIDES, adolescens



ARGVMENTVM.

Senex avarus, sibi vix credens, Euclio
 Defossam multis cum opibus domi suae
 Aulam invenit, rursumque penitus conditam
 Exsanguis, amens servat.
 Interea senex
 Megadorus, a sorore suasus ducere
 Uxorem, avari gnatum deposcit sibi.
 Senex durus vix promittit, atque aulae timens,
 Domo sublatam variis abstrudit locis.
 Insidias servus . . . facit Lyconidis,
 atque ipse obsecrat
 Avunculum Megadorum sibimet cedere
 Uxorem amanti. Per dolum mox Euclio
 Quum perdidisset aulam, insperato invenit,
 Laetisque natam collocat Lyconidi.

ALIVD ARGVMENTVM.

Euclio quidam civis Atheniensis, utpote avarissimus,
 thesaurum sibi a lare familiari indicatum non eruit, sed
 altius defodit, atque omnibus intolerandus fit; veritus
 videlicet ne thesaurus sibi subripiatur. Post varios tan-
 dem casus thesaurus cedit in dotem Phaedrae, Euclionis
 filiae, quae Lyconidem nubit Haec fusius narrat lar fami-
 liaris in *Prologo*, quem primum enucleandum suscipimus.

Antequam venio ad prologum, dicendum breviter, huic fabulae nomen ex re ipsa inditum fuisse; ex *olla* videlicet, in qua thesaurus contineretur, quaeque a veteribus Romanis *aula* fuit appellata, eadem ratione qua *plaustrum* dixerunt vel *plostrum*, *caudex* vel *codex*, immutata diphthongo *au* in *o* longum. Ex *aula* (italice *pentola*) factum est diminutum nomen *Aulularia*.

Caeterum ex argumento satis patet, commode posse hanc fabulam inscribi: *Avarus*. Et revera ad hanc identidem respexit Molierius, quum comoediam suam conderet, cui titulus: *l'Avare*. Gallus hic poëta, non secus ac Plautus, avarum depingit; hoc tamen discrimine, quod apud Sarsinatem avarus amore tantum thesauri sui affligitur; e contrario apud Molierium insano etiam puellae amore tenetur. Uterque profecto se ridendum praebet spectatoribus. Namque, haud aliter atque avarus semper anxius, semper thesauro suo timens, ridetur senex, qui iuvenum ritu feminam depereat. Animadvertendum tamen, romanam comoediam, magis quam gallican, ad mores hominum emendandos conferre. Namque ponamus, uti scribit Schlegelius (*Cours de littér. dram. Lec. XII*), Molierii comoediam pariter spectari a sene ob amorem deliro, atque ab homine avaro. Neuter se a poëta vellicari arbitrabitur. Avarus enim: me quidem ait, vexat avaritia; sed insanus amor non agitat, qui adeo spectantium risus expromit. E contrario senex amator: equidem amo, inquiet, sed turpi avaritia non laboro, ob quam sordidus hic senex in scena ridetur. Quum igitur uterque quidpiam habeat, quo se tueatur poëta fine suo frustrabitur, neque spectantium mores ridendo castigabit.

Hoc discrimen praesertim erat notandum, quod inter hasce fabulas intercedit. Deinceps quosdam Plauti et Molierii locos inter se comparando, videbimus, utrius comoedia propius ad veritatem accedere videatur.

PROLOGVS

LAR FAMILIARIS.

Ne quis miretur, qui sim paucis eloquar.
 Ego lar sum familiaris ex hac familia,
 Unde exeuntem me adspexistis. Hanc domum
 Iam multos annos est quom possideo et colo

Prologus, prima est ex quatuor partibus, in quas dividitur comoedia romana. Definitur autem praefatio ab auctore praemissa ad aemulorum confusionem, atque ad captandam benevolentiam auditorum. In hoc prologo loquens inducitur *lar familiaris*, cuius nomine intellige, lector, genialem Deum, familiae praesidem ac custodem, cui Romani sacrificabant quotidie domi, vel in triviis in festo compitaliorum.

Ne quis miretur. Verbum *miror* in hoc loco idem valet atque *ignoro*. Ne quis ignoret qui sim. Men. IV, 4, 6: *Demiror* ubi nunc ambulet Messenio. Terentius Eun. II. 2. 50: *Miror*, quid ex Piraeo abierit: Nos: *Non so., comesia partito dal Pireo.*

Lar sum familiaris ex hac familia. Pro vulgari: lar sum familiaris huius familiae. Lar sum familiaris, qui huius familiae custodiam gero.

Unde exeuntem me adspexistis. Haec quidem δεικτικῶς a lare dicuntur, hoc est digito commonstrando aedes Euclionis.

Hanc domum . . . possideo et colo. Inter caetera commoda, quae a Plautina lectione in studiosos maxime redundant, hoc silentio non est praetermittendum, germanam inde latini sermonis indolem et proprietatem hauriri. Quum enim exardescente bello punico secundo floruerit Plautus; ea videlicet tempestate, qua Romanorum mores nondum fuissent ob exterorum commercia immutati, quidpiam magis expressum et nativum in ipso occurrit, quod in posterioris aetatis scriptoribus desideramus; in quibus maior profecto est elegantia, at non eadem antiqui sermonis vis ac proprietas. Quantopere autem intersit romanae sapientiae studioso, prima haec latinarum litterarum, pene dixerim, incunabula etiam atque etiam co-

Patrique avoque iam huius, qui nunc hic habet. 5
 Sed avos mihi huius obsecrans concedidit
 Auri thesaurum clam omnis; in medio foco
 Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
 Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,

gnoscere, nemo est quin sciat. Quod quidem passim confirmatum videbimus, quotiescumque de verborum proprietate disseremus. Iamque sit exemplo haec dictio: *Hanc domum possideo et colo*. Duo hic coniungit noster, quae prima fronte unum atque idem videntur significare: *possideo et colo*. Quae tamen differunt inter se. Siquidem *possideo* idem sonat ac *teneo, habito*. Dii vero, urbes et loca dicuntur possidere, in quibus praecipua religione coluntur. Sic apud Ovidium, Fast. iv. 421:

Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor

Trinacris: a positu nomen adepta loci.

Grata domus Cereri: multas ibi *possidet* urbes,

In quibus est culto fertilis Henna solo.

Colere autem interdum eleganter et proprie dicuntur qui inferiorum curam habent, eorumque commodis prospiciunt. Sic Virgilius, Ecl. iii. 60: Iovis omnia plena; Ille *colit* terras; hoc est: ille curam habet terrarum. Neque id solum apud poëtas. Sed Tullius, Att. x. 8: Nihil, ait, mihi unquam gratius accidit, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque *coluisti*; id est: Tulliae meae diligentem curam habuisti. Quare Iar familiaris hoc voluit significare: Iam post multos annos ego color in hac domo, eiusque curam gero.

Patrique avoque. Nempe curam habeo pro patre et avo. Hic usurpatur dandi casus ad significandum favorem, veluti quum scribimus: Peto tibi veniam; hoc est: peto pro te veniam. Fuere qui existimarent, ita hunc locum esse emendandum: *Possideo et color patrique avoque*; hoc est: color ab avo et patre. Quae quidem emendatio absurda non est dicenda, sed tamen non necessaria. Namque probabilis omnino sensus eruitur ex verbis Plautinis: *colo patrique avoque*. Idem dicendum de alia lectione, quam nonnulli excogitarunt: *Patrique avoque amicus qui nunc hic habet*.

Qui nunc hic habet. Saepe apud optimae notae scriptores latinos *habeo* pro verbo frequentativo *habito*. Cf. Men. Prol. v. 69.

Thesaurum auri omnis. Proprie thesaurus significat acervum et collectionem rerum, quae reconduntur in futurum usum; et ponitur praesertim de acervo pecuniae. *Thesaurum auri omnis*, italice: *la raccolta di tutto l'oro*.

In medio foco. Focus a fovendo dictus, est locus ubi ignis servatur. Italis; *il focolare*.

Venerans. Colens, honorans; namque Iari in foco sacrificabant.

Is quoniam moritur. – *Quoniam et postquam* promiscue usurpant Latini.

Ita avido ingenio fuit. Vetustiores quidem codices habent: *avio*, idest stolido.

Nunquam indicare id filio voluit suo, 10
 Inopemque optavit potius eum relinquere,
 Quam eum thesaurum commonstraret filio.
 Agri reliquit eii non magnum modum,
 Qui cum labore magno et misere vīveret.
 Ubi is obiit mortem, qui id mihi aurum credidit, 15
 Coepi observare, ecqui maiorem filius
 Mi honorem haberet, quam eius habuisset pater.
 Atque ille vero minus minusque inpendio
 Curare, minusque me impartire honoribus.
 Item a me contra factum est. Nam item obiit diem. Is 20
 Ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
 Pariter moratum, ut pater avosque huius fuit.
 Huic filia una est; ea mihi cotidie
 Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat;

Utraque lectio respondet sententiae Plautinae. Nimirum hic senex fuit tam *avido* vel *stolido* ingenio, ut aurum defossum moriens filio non commonstrarit.

Agri non magnum modum. Elegans dictio. Agri modus parvus vel magnus. Ital. *piccolo o grande campo*. Modus enim est mensura, quantitas. Hac etiam dictione utitur Horatius, Satyr. II. 6. 1: Hoc erat in votis: *modus agri non ita magnus*.

Eii. Ἐχθῆς Ei.

Ecqui vel ecquid maiorem. Pronomen *ecquis, ecquae, ecquod* usurpatur inter-
dum pro *num, numquid, an*.

Maiorem honorem. Honor hic dicitur de sacrificiis, aliisque rebus, quibus honores Diis habetur. Virg. Aen. III. 448: Meritos aris mactavit honores.

Minusque inpendio. Impendio est casus ablativus vocis *impendium (spesa)*, qui adverbii more ponitur, idemque sonat ac *multo*. Iungitur interdum cum verbis, sed fere semper cum comparativis. Neque habendus est tamquam archaismus Plautinus; occurrit enim etiam apud Tullium, qui ad Atticum (X. 4.) scribens: At ille, ait, *impendio* nunc magis odit senatum.

Item a me contra factum est, Par pari ei retuli.

Pariter moratum. Iisdem praeditum moribus, aequae avarum, quique sacrificiis parcat.

Aliqui. Casus ablat. pro *aliquo*.

Supplicat. Supplicare, dictum a plicandis seu flectendis genibus, proprie est *adorare, venerari, orare*. Interdum etiam significat *sacrificare, rem divinam*.

Dat mihi coronas. Eius honoris gratia *per suo niger*²⁵
 Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
 Quo illam facilius nuptum, si vellet, daret.

.

.

.

30

Eam ego hodie faciam, ut hic senex de proxumo
 Sibi uxorem poscat:

.

Etenim qui poscet eam sibi uxorem, senex
 Is, adolescentis illius est avonculus,
 Qui illanc (*offendit*) noctu, Cereris vigiliis.

35

facere. Ita apud Catonem, RR. 143: Villica lari familiari pro copia *supplicet*, hoc est rem divinam faciat. Quare *supplicat ture aut vino*, idem est ac sacrificat ture aut vino. Laribus autem sacra fiebant ture, vino, floribus, mola salsa, horna fruge, porca, vitula.

Dat mihi coronas. Coronas ex floribus vel capiti meo imponit, vel in focum iniicit. Docent archaeologi, mirae magnitudinis fuisse coronas, quae Laribus offerebantur.

Quo illam facilius nuptum daret. Hic animadvertant studiosi, verbum *nubo* (unde nuptiae dictae sunt) tantummodo usurpari de sponsa, numquam vero apud aureos scriptores de sponso. Quum enim apud veteres solerent sponsae, quum viro tradebantur, flammeo caput nubere, hoc est velamine quodam crocei coloris caput tegere, ne proderetur virginis pudor, factum est, ut *nubere* ponatur pro eo quod est virginem in matrimonium collocari. Quapropter dicimus, mulierem *nubere* vel *nuptum dari* viro; e contrario, virum *uxorem ducere*.

Cereris vigiliis. Athenis, ubi poëta fingit hanc fabulam doceri, quotannis sacra celebrabantur in honorem Cereris, quae Graeca voce *Δεσμωφώρια* appellabantur. Haec sacra ab Erechtheo, Athenarum rege, primum instituta, fiebant per novem noctes perpetuas; propterea quod Ceres nocturno tempore Proserpinam filiam sibi surreptam quaesiisset. Ad haec innumera mulierum turba confluebat, Cererem adoratura. Cerealia haec sacra, quae et *mysteria* et *initia* a Romanis dicebantur, Plautus appellat *vigilias*, quod Cererem colentes per novem noctes vigilarent. Ob eandem causam *pervigilia* etiam dicta sunt. Hunc morem vigilandi iis noctibus, quae festa quaedam praecedebant, habuerunt etiam antiquissimi Christiani. Inde ortae sunt apud nos *le vigilie dei Santi*. Quos tamen dies

Sed hic senex iam clamat intus, ut solet;
 Anum foras extrudit, ne sit conscia.
 Credo, aurum inspicere volt, ne subreptum siet.

si latine et eleganter loqui velimus, non *vigilias* appellabimus, uti vulgo fit, sed *praeludia*. Ex. gr. *Praeludium diei natalis Iesu Christi: La vigilia del S. S. Natale*. Tunc vero *praeludium* significat *preparazione*. Si vero *vigilia* idem sit ac *digiuno* tunc scribimus latine *ieiunium*. Ex. gr. *Il Sommo Pontefice stabilì la vigilia della nascita di Maria Vergine: Pontifex Maximus ieiunium Mariae Virgini ante eius natalitatem instituendum censuit*.

Anum foras extrudit. Intellige Staphylam, ancillam. *Extrudere* vim quandam significat quae in aliquem inferatur. Et translate usurpatur de mercatoribus, qui cupidius, et quasi invitis emptoribus merces suas vendunt. Horat. Ep. II. 2. 10: *Plenius aequo Laudat venales, qui vult extrudere, merces*.

Ne subreptum siet. Pro vulgari: surreptumne siet.



ACTVS I

SCENA I.

EVCLIO, STAPHYLA.

EVCLIO.

Exi, inquam! age, exi! exeundum hercle hinc tibi est foras,
Circumspectatrix cum oculis emissitiis!

STAPHYLA.

Nam cur me miseram verberas?

Exi, inquam, age! Poëta fabulam suam exorditur a diverbio, seu colloquio senis avari et Staphylae ancillae, quam pluries in diem aedibus extrudit, veritus ne ab ipsa conspiciatur, dum thesaurum suum invisit.

Exi, inquam, age. Imperativum verbi *ago* usurpatur adverbii modo a Latinis. Quamvis autem sit numeri singularis, attamen coniungitur etiam cum verbis numeri multitudinis, uti apud Graecos ἄγες. Sic Liv. xxxviii. 47: Mittite *agedum* legatos circa omnes Asiae urbes. Val. Flacc. iii, 311: Vos *age* funereas ad litora volvite silvas.

Hercle. Fuit formula iurandi virorum romanorum, qua nunquam utebantur feminae.

Exi, exi, exeundum. Huiusmodi repetitiones suspiciosum et anxium avari ingenium graphice depingunt.

Cum oculis emissitiis. Intellige, lector, oculos extra eductos et foras porrectos, quales illorum esse consueverunt, qui omnia diligentissime circumspiciunt. Itali: *Con questi occhi spalancati, indagatori. Con questi occhi da spia.*

Nam cur. Interrōgatio, quae ex animo irato profiscitur, significantior sit per particulam *nam*. Haec vero a comicis et reliquis poëtis fere praemittitur. Sic Virg. Georg. iv. 445: *Nam* quis te, iuvenum confidentissime, nostras Iussit adire domos?

Verberas? Nimirum quum lentius ancillam videret Euclio ab aedibus recedentem, pugnis illam extrudit.

EVCLIO.

Ut misera sis,
Atque ut te dignam, mala, malam aetatem exigas.

STAPHYLA.

Nam qua me nunc causa extrusisti ex aedibus?

EVCLIO.

Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio! illuc, sis! Vide, ut
Incedit! At scin', quomodo tibi res se habet? *Conceda vi*
Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi grandibo gradum!

STAPHYLA.

Utinam me divi adaxint ad suspendium
mi diano in man sul bria

Malam aetatem. Infelicem aetatem. Saepe tamen a Plauto *mala aetas* dicitur senectus, ut *bona aetas* pro iuventa.

Stimulorum seges. Hoc convicio saepe utebantur Romani in malos servos. *Seges* dicitur terra arata, et semini recipiendo parata. Quare per translationem corpus ancillae appellat noster terram, in qua stimuli commode seri et desigi queant. Stimulus vero est italice: *pungolo*, vel *staffile* Nos: *Spalle da bastone, faccia da schiaffi*.

Regredere ab ostio. Proprie *ostium* de foribus internis, ab obstando dictis.

Illuc regredere . . . illuc sis! Haec verba gestu adiuvantur ab actore, ut saepe fit in scena.

Illuc, sis! Si vis. Formula imperantis: ital. *Là, se ti piace*.

Incedit! Progreditur lente! *Incedo* dicitur de iis, qui lente et cum dignitate procedunt. Virg. Aen. 1. 46. de Iunone: Ast ego quae divom *incedo* regina, Iovisque Et soror et coniux.

At scin' quomodo? Haec formula indignationem quandam significat, et minis et convicio inservit. Cf. Plaut. Bacch. v. 2. 59; Amph. I. 1. 200; Mil. iv. 4. 26.

Scin'. Syncope. Scisne?

Quomodo tibi res se habet? In quonam periculo verseris? quod tibi infortunium impendeat?

Testudineum gradum. Lentum gradum. Nos; *passo da tartaruga*.

Grandibo. Archaismus. Grandire gradum, *far accelerare il passo*. Efficiam, ut maiora, gradiendo, spatia facias.

Adaxint pro eo quod est *adigant*, vel *adegerint*. Archaismus. Veteres enim usurparunt interdum *axint* pro *egerint*. *Utinam me divi adaxint ad suspendium!* Itali: *Mi possa io impendere per la gola!*

Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam!

^{Incognat}
At ut scelestas sola secum murmurat!

Oculos hercle istos, improba, ecfodiam tibi,
Ne me observare possis, quid rerum geram.

Abscede! — Etiam nunc! — etiam nunc!

STAPHYLA.

Etiamne?

EUCLIO.

Ohe,

Istic adstato! Si hercle tu ex istoc loco
Digitum transvorsum, aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donecum ego te iussero,

At ut scelestas... murmurat! Quum Staphyla, demissa voce, uti sit, proferret haec verba: *utinam me divi adaxint ad suspendium*; Euclio, *Vide*, ait, *ut scelestas sola secum murmurat*. Particula *at* usurpatur interdum ad significandam iram, aegritudinem, aut admirationem. Cf. Plant. Mil. II. 4. 46.; Tull. Fam. IX. 20; Id. Verr. I. 45; Stat. Silv. I. 4. 11.

Oculos ecfodiam tibi. — *Ecfodiam* pro *effodiam*. Hinc patet, serius apud Romanos invectum fuisse morem literas geminandi. Si quis autem forte miretur, Plautum facetiis et salibus interdum audacioribus uti; is quaeso, meminerit, poetam nostrum populares mores expressisse, qua tempestate Romani nondum fuissent graeca elegantia expoliti. Tunc etiam mirari desinet dictiones quasdam, quae, si mores nostros consulamus, ab urbanitate aliquantulum abhorrere videntur. Cuiusmodi sunt: *stimulorum seges* - *oculos hercle ecfodiam tibi*, aliaeque huiusmodi, quibus avarus noster Staphylam ancillam saepius vexat.

Abscede. Subaudiendum *ex aedibus*. Quum autem id invito animo et lentius faceret Staphyla, usque respiciendo, Euclio iratus exclamat: *Etiam nunc!* quod idem est atque *adhuc*.

Ohe. Hac particula utimur quum aliquem monemus, ne vel eundo vel agendo pergat. *Ohe, istic adstato!* Ital.: *Basta, fermati là*. Haud aliter Noster: Asin. II. 3. 4: Quis nostras sic frangit foris? *Ohe*, inquam, si quid audis! hoc est: *ne pulla amplius*, inquam, si quid audis!

Digitum transvors. aut unguem lat. excesseris Proverbialis dictio pro eo quod est: Si minimo spatio hinc discesseris. *Digitus transvorsus* est crassitudo digiti, *la spessore di un dito*. Nos: *seti scosti quanto è grosso un dito, o larga un'unghia*.

Respexis. Syncope pro *respeveris*.

Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.

Scelestiorem me hac anu certe scio

Vidisse numquam, nimisque ego hanc metuo male,

Ne mi ex insidiis verba imprudenti duit, *quendo nunc*

Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,

Quae in occipitio quoque habet oculos, pessuma. *n' balsa*

Nunc ibo uti visam, estne ita aurum, ut condidi.

Quod me sollicitat plurimis miserum modis.

STAPHYLA.

Ne nunc mecastor, quid hero ego dicam meo

Malae rei evenisse, quamve insaniam,

Queo comminisci: ita me miseram ad hunc modum

Decies die uno saepe extrudit aedibus.

Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent:

Dedam discipulam cruci. Crux fuit apud Romanos supplicium fere servorum acerrimum et infame. *Dedam discip. cruci* idem valet ac: Faciam ut crux sit tibi magistra, et doceat te, non esse respiciendum, neque discedendum e loco tibi constituto. Nimirum agam te in crucem, a qua discas, non esse respiciendum.

Nimis male metuo. Interdum *male* idem valet ac *multum*. Etiam Terentius, Hecyr. III. 2. 2: *Male* metuo, ne morbus aggravescat. Haec autem secum loquitur Euclio domum ingrediens, unde Staphylam extrusit.

Ex insidiis. Per insidias.

Duit. Archaismus pro *dederit*. Verba dare, idest decipere.

Ne nunc mecastor. Verba sunt Staphylae anus, exclusae a foribus, et mirantis heri sui insaniam, qui decies in diem ipsam aedibus extruderet.

Mecastor. Est particula iurantis per deum Castorem, quemadmodum *mehercle* per deum Herculem. Illud *me* est syllaba praefixa, quae idem significat quod *e*. Veteres grammatici originem ignorabant vocabuli *mecastor*, *mehercule*, et analogiam graecae particulae $\gamma\eta$ non respicientes, opinabantur, *me* esse pronomen, ac propterea orationem complere solebant his verbis: *ita me Hercules adiuvet; ita me Castor amet*. Quo nihil ineptius dici potest.

Quid malae rei. Hoc est quam calamitatem, quod infortunium.

Hero meo. Servi generatim *herum* potiusquam *dominum* appellabant *il parrone di casa*. Nimirum sibi invicem respondent haec duo verba: *herus*, *servus*. Pater familias dicebatur *herus maior*; filius, *herus minor* vel *herilis filius*. Caeterum quum *herus* graece sit $\delta\epsilon\sigma\pi\acute{o}\tau\iota\varsigma$, *herile imperium* dixeris eleganter ad significandum *unimpero dispotico, assoluto*.

Intemperiae. Proprie sunt malae tempestates, italice: *le stravaganze*

Pervigilat noctis totas; tum autem interdus,
Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.

.

.

. neque quidquam est melius mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

delle stagioni. Cato, RR. 141, in prece ad Martem: Calamitates, ait, *intemperiasque* prohibeatis. Translate vero *intemperiae* sunt insania, furor, vel etiam furiae: *le stravanze dell'animo*.

Pervigilat noctis totas. - *Veglia le intere notti.* Hic notandum discrimen, quod intercedit inter *omnis* et *totus*. *Omnis* refertur ad quantitatem discretam, hoc est ad numerum; *totus* ad quantitatem continuam, et significat integrum aliquod corpus, cui nulla pars desit. Quare quum dicimus: *omnes noctes vigilare*, significatur numerus noctium; erit autem *vegliare tutte le notti*; *vigilare totas noctes* est vigilare omnes partes noctis, *le intere notti*.

Tum autem. Usurpant Comici, quum rei argumenta vel partes in medium afferunt. Cf. Capt. IV, 2, 38; Cist. I, 5, 25; Ter. Eun. II. 3. 11.

Quasi claudus sutor. Proverbium ad hominem significandum, qui domo nunquam egrediatur. *Claudos* appellat *sutores*, quod perpetuo sedentes minus alacres fiant, minusque apti ambulando. Siquidem corporis partes exercitio vigent, inertia torpescunt.

Unam faciam literam longam. Me suspendam, ut me a domini ira liberem. Notanda est Plautina haec dicendi ratio pro vulgari: *me ad suspendium adigam*. Siquidem littera longa dicebatur a veteribus littera I, quod sola haec inter grandes et romanas illas supra caeteras eminet, et forma ipsa hominem pensilem, hoc est suspensum et porrectum exhibet; quales videlicet spectantium oculis exhibentur qui suspendio vitam finiunt.

Plautinae huic scenae subtexendam arbitror partem priorem scenae tertiae actus primi, quae legitur apud Molierium in comoedia *l'Avare*, quam supra memoravi. Ex hac enim comparatione facile intelligent studiosi, quam commode Plautinam imitationem in rem suam converterit gallus poëta. Hic autem loquens inducitur *Harpagon* avarus, et *La-Flèche* servus *Cleanthis*, *Harpagonis* filii.

HARPAGON.

• *Hors d'ici tout-à-l'heure, et qu'on ne réplique pas. Allons, que l'on dé-*
• *tale de chez moi, maître juré filou, vrai gibier de potence.*

LA-FLÈCHE, à part.

- » Je n'ai jamais rien vu de si méchant que ce maudit vieillard, et je
- » pense, sauf correction, qu'il a le diable au corps.

HARPAGON.

- » Tu murmures entre les dents?

LA-FLÈCHE.

- » Pourquoi me chassez-vous?

HARPAGON.

- » C'est bien à toi, pendard, à me demander des raisons! Sors vit, que
- » je ne t'assomme.

LA-FLÈCHE.

- » Qu'est-ce que je vous ai fait?

HARPAGON.

- » Tu m'as fait, que je veux que tu sortes.

LA-FLÈCHE.

- » Mon maître, votre fils, m'a donné ordre de l'attendre.

HARPAGON.

- » Va-t-en l'attendre dans la rue, et ne sois point dans ma maison planté
- » tout droit comme un piquet, à observer ce qui se passe, et faire ton pro-
- » fit de tout. Je ne veux point voir sans cesse devant moi un espion de mes
- » affaires, un traître, dont les yeux muadils assiègent toutes mes actions,
- » dévorent ce que je possède, et surètent de tous côtés pour voir s'il n'y a rien
- » à voler.

LA-FLÈCHE.

- » Comment diantre voulez-vous qu'on fasse pour vous voler? Êtes-vous un
- » homme volable, quand vous renfermez toutes choses, et faites sentinelle jour
- » et nuit?

HARPAGON.

- » Je veux renfermer ce que bon me semble, et faire sentinelle comme il me
- » plaît. Ne voilà pas de mes mouchards, qui prennent garde à ce qu'on fait: (*bas*
- » à part) Je tremble qu'il n'ait soupçonné quelque chose de mon argent.
- » (*haut*) Ne serais-tu point homme à faire courir le bruit, que j'ai chez-moi de
- » l'argent caché?

ACTVS I. — SCENA II.

EVCLIO, STAPHILA.

EVCLIO.

Nunc defaecato demum animo egredior domo,
 Postquam perspexi, salva esse intus omnia.
 Redi nunc iam intro, atque intus serva.

STAPHYLA.

Quippe nil

Ego intus servem! An, ne quis aedis auferat?
 Nam hic apud nos nihil est iam quaesti furibus;
 Ita inaniis sunt oppletae atque araneis.

Animo defaecato. Defaecare est a faece purgare. Translate *defaecatus* dicitur animus a timore vacuus, tranquillus, sedatus. Haec autem Euclio in scenam rediens secum ait, laetus quod thesaurum intactum viderit.

Redi nunc iam intro. Haec verba convertit Euclio ad Staphylam, quae est extra iannam; iubet autem illam rursus domum ingredi, et omnia custodire.

Intus serva. Servare est sollicite et diligenter observare. *Servare domum* inquit Latini pro eo quod est: domesticae rei curam sedulam habere. *Intro, intus* differunt inter se. Siquidem *intro* coniungitur cum verbis significantibus motum ad locum; *intus* vero cum verbis quietem significantibus.

Quippe nil. Quippe hoc est *certe*, et inservit ironiae, quemadmodum apud Virgilium, Aeneid. I. 37. seqq.: Mene incoepto desistere victam, Nec posse Italia Teucrorum avertere gentem? *Quippe* vetor *fatis*. Nos: *certamente per custodir dentro un bel niente*.

An, ne quis etc. Subintellige: An servabo, ne quis aedes auferat?

Quaesti. Archaismus pro *quaestus*.

Ita inaniis sunt oppletae. Avari Euclionis aedes appellat, lepida sane et comica dictione, *oppletas inaniis* (*ripiene di vanità*), quod videlicet nulla ibi supellex esset, quemadmodum pauperum aut avarorum domus esse consueverunt. Hac locutione commode uti possemus ad quorundam mentes significandas, qui ieiuni et vacui doctrina ad scribendum accedunt; quippe scriptores *inaniis oppletos* iure eos dixeris, in quorum scriptionibus nihil occurrit praeter sonantia quaedam verba et argutiolas sententiarum.

EVCLIO.

Mirum, quin tua me causa faciat Iupiter
 Philippum regem aut Darium, trivenefica!
 Araneas mihi ego illas servari volo.
 Pauper sum, fateor; patior. Quod di dant, fero.
 Abi intro! Occlude ianuam! Iam ego hic ero.
 Cave quemquam alienum in aedis intromiseris.
 Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo,
 Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet,
 Nam si ignis vivet, tu extinguerè extempulo.

Mirum quin tua causa etc. Cum indignatione quadam haec dicuntur ab Evclione, qui id praesertim studet, ut se pauperem exhibeat, ne forte Staphyla quidpiam suspicetur de thesauro. *Tua causa.* Propter te.

Philippum regem aut Darium. Intellige, lector, Philippum, Macedonum regem, Alexandri patrem, et Darium, Persarum regem, quorum uterque maximis divitiis abundabat. Tres autem fuerunt Darii Persarum reges. Primus videlicet Hystaspis filius, pater Xerxis; alter Longimani filius; tertius Arsami filius, quem Alexander regno spoliavit. Ad tertium, utpote omnium ditissimum, videtur Plautus respexisse. Itaque proverbii loco haec dicuntur ab avaro, pro eo quod esset: Mirum ni Iupiter, ut tibi satisfaciat, me opibus cumulet!

Trivenefica! Convicium in improbam mulierem. *Trivenefica*, hoc est multum venefica. Siquidem particula *tri* in compositione rem auget, uti in voce *trifurcifer*. Veneficae dicuntur praesertim a Latinis mulieres, quae incantationibus, aut malis medicamentis utuntur: *le maliarde, le streghe*. Recte igitur nos *trivenefica* interpretabimur: *maledetta strega*.

Araneas mihi ego etc. Festiva sane avari verba, qui thesauro suo usque timens, paupertatem magis magisque simulat. *Aranea* et animal significat, et animalis opus. *Araneas* vero dixerunt Latini ab Arachne, puella Lydia, quae ausa cum Minerva de lanificio certare, a Dea victrice in araneam fuit conversa.

Occlude ianuam. Proprie de foribus, per quas e via domum ingredimur.

Iam ego hic ero. Iam interdum celeritatem significat. Cito, brevi hic ero.

Quod quispiam ignem quaerat. Animadvertite, lector, dictionis brevitatem. Quod posset fieri, ut quisquam ignem quaereret.

Si ignis vivet, tu exting. extemp. Si ignis a te non extinguetur, tu vita extingueris. Verba, quae pertinent ad ignem atque ad vitam hominum, promiscue usurpantur a Latinis. Sic *extinguere ignem* inquit, et *interficere torrem*, *spegnere un tizzo*. *Mori ignem, vivere ignem.* *Extempulo.* Ob epen-thesin 1: adiectum est: *extemplo, statim*. Vox ab auguriis fortasse derivata, in

Tu aquam aufugisse dicito, si quis petet.
 Cultrum, securim, pistillum aut mortarium,
 Quae utenda vasa semper vicini rogant,
 Fures venisse, atque abstulisse dicito.
 Profecto in aedis meas, me absente, neminem
 Volo intromitti, atque etiam (hoc praedico tibi
 Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

STAPHYLA.

Pol eapse, credo, ne intromittatur cavet:
 Nam ad aedis nostras numquam adit quaquam prope.

quibus augures, auspicio impetrato, statim ex templo egrediebantur, Deorum voluntatem nunciaturi.

Aquam aufugisse dicito. Perridicula dictio, avari ingenio aptissima.

Quae utenda vasa etc. Vasorum nomine donatur quodlibet supellectilis genus, *ogni sorta di arredi*. Ita culter, pistillum, *vasa* appellantur. In re rustica aratrum, ligones, falces, *vasa* etiam dicuntur. In re militari *vasa* sunt omnis generis impedimenta, *il bagaglio*. Hinc dictiones illae Latinae, quae saepe apud historicos occurrunt: *conclamare vasa*, hoc est tuba signum dare militibus ut impedimenta colligant. Caes. B. C. I. 66: Signum dari iubet, et *vasa* militari more conclamari.

Profecto. Omnino.

Hoc praedico tibi. Verbum *praedico* proprie usurpatur pro eo quod est serio monere de re, quae facienda sit. Nam quae serio volumus, multo ante quam fiant praedicere solemus. Nep. Them. 7: Collegas iussit proficisci, eisque *praedixit*, ut ne prius legatos dimitterent, quam ipse esset remissus.

Si bona Fortuna veniat. Haec, quibus Plautus suspiciosum et anxium avari animum depingit, omnino sunt ex hominis natura deprompta. Atque haud scio, an alia possint excogitari, quae ad veritatem magis accedere videantur. Haec nimirum est summa comici poetae virtus, qua Plautus noster excellit, personarum mores ita exhibere, ut sentiant spectatores, nihil aptius aut dici aut fingi potuisse.

Nunquam adit quaquam prope. In hoc loco enucleando mire se torserunt interpretes. Alii legunt *quamquam*, subintelligentes verbum *est*. Nimirum bona fortuna *quamquam* prope est, videlicet in domo proxima Megadori, hominis divitis; nunquam tamen ad aedes nostras venit. Alii vero arbitrantur, legendum esse *quaquam*; quae particula idem sonat atque *ulla ex parte*, omnino ita ut sensus sit: Bona Fortuna omnino numquam venit ad aedes nostras.

EVLIO.

Tace, atque abi intro!

STAPHYLA.

Taceo atque abeo.

EVLIO.

Occlude, sis, 25

Foris ambobus pessulis. Iam ego hic ero. —

Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi.

Nimis hercle invitus abeo; sed quid agam scio:

Nam noster nostrae qui est magister curiae,

Dividere argenti dixit numos in viros: 30

Id si relinquo ac non peto, omnes eloco

Me suspicentur, credo, habere aurum domi:

Nam verisimile non est, hominem pauperem

Pauxillum parvi facere quin numum petat:

*Tanto Se Tesoro de buscar
un Senero.*

Occlude, sis, foris ambobus pessulis. Hisce verbis supremam, pene dixerim manum addit poeta egregiae avari picturae. *Pessuli* nomine intelligendus est vectis ferreus aut ligneus, quo fores clausae obfirmantur intus. Euclio, qui tutior esse vellet, duos pessulos foribus obdiderat.

Iam ego hic ero. Haec verba repetit Euclio, ratus, Staphylam diligentius esse servaturam, si crederet herum mox esse reversurum. *Iam* illico, statim.

Invitus abeo. Ait secum Euclio, se invitum domo egredi ob nimiam aulae curam; sed tamen non sine causa hoc facere. *Sed quid agam scio.* Nos: *Ma ho le mie buone ragioni di farlo.*

Magister curiae. Magister curiae idem est qui alio vocabulo *curio* appellatur. Ex Romuli instituto urbs Roma in triginta curias fuerat divisa; quibus singulis praeerat sacerdos qui sacra publica curaret. Hunc *curionem* appellabant. Iam vero certis quibusdam diebus huiusmodi curiones pecuniam curialibus suis, qui pauperes essent, viritim distribuebant. Euclio timens, ne quis suspicaretur de thesauro recondito, ait, se velle una cum reliquis curialibus pecuniam petero. Qua in re graeci mores (comoedia enim est palliata) ad Romanos fuerunt traducti a poeta.

In viros. Viritim. Nos: *per testa.*

Eloco. Illico, statim.

Pauxillum parvi fac. quin petat. Parvi aestimare nummum pauxillum, ita ut non petat.

Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant, 35
 Omnes videntur scire, et me benignius
 Omnes salutant, quam saluabant prius;
 Adeunt, consistunt, copulantur dexterās:
 Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
 Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum 40
 Me rursus, quantum potero, tantum recipiam.

Consistunt. Euntem in via me sistant et compellant. Italice: *mi arrestano per via.*

Copulantur dexterās. Itali: *mi stringono la mano.*

Rogitant. Hic animadvertenda vis comica Plauti, qui vel minimis rerum adiunctis sapienter utitur, ut ex vero avarum et suspiciosum hominem effingat.

Nunc quo profectus sum. Quo iter cepi, quo ire intenderam. Ital.: *dove mi sono avviato.*

Quantum potero, tantum recipiam. Quo citius fieri poterit, me recipiam.

ACTVS II

SCENA I.

EUNOMIA, MEGADORVS.

EUNOMIA.

Velim te arbitrari, med haec verba, frater,
 Meae fidei tuaeque hic rei causa facere,
 Ut aequom est germanam sororem.
 Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi: *stredo*
 Nam multum loquaces merito omnes habemur, 3
 Nec mutam profecto repertam ullam dicunt

Velim te arbitrari. Postquam poëta Euclionem exhibuit domo digredientem, ut se ad magistrum curiae conferret, pecuniam petiturus, Eunomiam et Megadorum colloquentes inducit in vico, qui medius erat inter domum Euclionis et Megadori. Megadorus hic, senex ille est de proximo et ditissimus, quem memorat Lar familiaris in prologo. Eunomia vero eius est soror. Sed antequam singula expendenda suscipio, velim, lectores notare longiorem verborum ambitum, quo utitur Eunomia antequam ad rem veniat, de qua potissimum est dictura. Quo facto loquacium feminarum morem commode expressit Plautus.

Meae fidei, tuaeque rei causa. Sincere, candide, ex animo, et pro tua utilitate. Nimirum *res* saepe idem est latine, ac *commodum, usus, utilitas*. Ter. Phorm: II. 4. 9: Ego quae in *rem* tuam sint, ea velim facias. Tull. Fam. XIII 44: Tanta mihi cum eo necessitudo est, ut, si mea *res* esset, non magis laborarem.

Germanam sororem. Germanus dicitur praesertim de iis, qui eodem patre eademque matre; interdum vero etiam de illis, qui eodem tantum patre vel eadem matre sunt geniti.

Haud falsa sum. Haud ignoro.

Nam multum loquaces. Notandum poëtae artificium, qui Eunomiam ita loquentem facit, ut, dum se a vitio loquacitatis vult purgare, hac scilicet se laborantem exhibeat.

Hodie mulierem ullo esse in seculo.
 Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
 Tibi proxumam me, mihiq̄ue esse item te:
 Ita aequom est, quod in rem esse utrique arbitremur, 10
 Et mihi te, et tibi me, consulere et monere,
 Neque occultum id haberi, neque per metum mussari,
 Quin participem pariter ego te, et tu me facias.
 Eo nunc ego secreto ted huc foras seduxi,
 Uti tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem. 15

MEGADORVS.

Da mihi, optuma femina, manum.

EVNOMIA.

Ubi est ea? quis ea est nam optuma?

MEGADORVS.

Tu.

EVNOMIA.

Tune ais?

MEGADORVS.

Si negas, nego.

EVNOMIA.

Decet quidem vera proloqui.

In rem esse utrique. Utile esse utrique.

Per metum mussari. Proprie mussare est submissa voce loqui; sed usurpatur etiam eleganter de dubitantibus, itemque de iis qui timent, neque rem aperte dicere audent.

Eo nunc. Hac de causa nunc.

Da mihi, opt. fem., manum. En depictum senis morem, vix suis se viribus sustentem. Hinc vero ridiculum enascitur senis nupturientis.

Quis ea est? Apud veteres Romanos quis utrique generi inserviebat.

Ubi est ea? Animadvertite, lector, hanc Eunomia^e interrogationem, exhilarandae scenae ap'issimam. Nimirum quum Megadorus dixisset: Da mihi, optima femina, manum; Eunomia sui conscia, dubitat, utrum haec fratris verba ad se ipsam pertineant necne; ac propterea circumspiciens: ubi est, ait, quaenam est haec optima femina?

Decet quidem vera proloqui. In quibusdam editionibus legitur: *Decet te quidem etc.* Sed falso. Siquidem Eunomia in primo versu affirmaret quod negat in

Nam optuma nulla eligi potest; alia alia peior, frater, est.

MEGADORVS.

Idem ego arbitror, nec tibi advorsari

Certum est de istac re, soror, unquam. Quid vis? 20

EVNOMIA.

Da mi operam, amabo.

MEGADORVS.

Tua est, utere, atque impera, si quid vis.

EVNOMIA.

Id, quod in rem tuam optimum arbitro esse, ted admoni-
tum advento.

MEGADORVS.

Soror, more tuo faci'.

EVNOMIA.

Facta volo.

MEGADORVS.

Quid est id, soror?

EVNOMIA.

Quod tibi sempiternum

versu insequenti. Huc nimium reciderent eius verba: *Tu verum profers, frater, quum ais, me esse optimam feminam; nulla enim optima potest inveniri.* Quod quidem, plane esset absurdum. E contrario, demto pronomine *te*, hic erit sensus: *Omnino dicendum est verum. Nulla optima femina potest inveniri; alia est alia peior.* Ital.: *Bisogna pur confessare la verità. Non si trova una buona femmina. L'una è peggiore dell'altra.* Hinc vero manat ridiculus iocus, qui inest in affirmatione Megadori dicentis, se hac de re omnino assentiri sorori suae. *Idem ego arbitror etc.*

Da mi operam. In hoc loco idem valet atque *audire, auscultare.* Ital. *badare, ascoltare.* Tull. leg. II. 4. Sermoni reliquo *demus operam* sedentes. Nos: *Il restante del discorso ascolti amolo sedendo.*

Tua est. Te audio.

Soror, more tuo faci' Tu facis humaniter, ut soles. Ital.: *Bontà vostra, sorella.*

Facta volo. Dictio affirmantis, a comicis frequentata, pro eo quod est certe, profecto. Itali: *Conosco il mio dovere.*

Quod tibi sempiternum. Hic sempiternum usurpatur adverbii more.

Salutare sit liberis procreandis! Ita dī faxint! volo te uxorem 52

Domum ducere.

MEGADORVS.

Eheu occidi!

EVNOMIA.

Quid ita?

MEGADORVS.

Quia mihi misero cerebrum excutiunt
Tua dicta, soror: lapides loqueris.

EVNOMIA.

Heia, hoc face, quod te iubet soror.

MEGADORVS.

Si lubeat, faciam

EVNOMIA.

In rem hoc tuam est.

MEGADORVS.

Ut emorar quidem, priusquam ducam. 30

Quae cras venat, perendie foras, soror, feratur:

Ita di faxint! Perperam in optimis etiam editionibus, ut in taurinensi an. M. DCCC. XXII, haec verba tribuuntur Megadoro. Si enim Megadorus abhorret a re uxoria, uti ex verbis insequentibus patet, quomodonam Plautus illum sic potuit inducere loquentem? Quare haec verba sunt tribuenda Eunomiae, quae per parenthesin exclamat: Ita di faxint; atque omnino sensus hic erit: *Volo quod, tibi sit utile procreandis liberis (utinam id fiat), volo te uxorem ducere.*

Mihi misero cerebrum excutiunt. De sana mente me excutiunt. Nos: *Mi fanno uscir di cervello.*

Lapides loqueris. Dictio proverbialis pro eo quod est: Durus et asper hic tuus est sermo, qui me quasi lapidibus impetit. E contrario Graeci, quum vellent significare, aliquem sibi sermonem placere ῥόδα, aiebant, μ' εἰρηκας; hoc est: *rosas mihi locutus es.*

Ut emorar. — Ut interdum est particula optandi: utinam.

Emorar. Ἀρχαῖκῶς. Emoriar.

Venat. Archaismus. Veniat.

Foras feratur. — Ferre et efferre usurpantur a Latinis pro eo quod est extra

His legibus siquam vis dare, cedo, nuptias adorna.

EVNOMIA.

Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote.

MEGADORVS.

Sed grandior est natu?

EVNOMIA.

Media est mulieri aetas.

Eam si iubes, frater, tibi me pōscere, poscam.

35

MEGADORVS.

Num nunc vis me interrogare te?

EVNOMIA.

Imo, si quid vis, roga.

MEGADORVS.

Post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum,

~~Si eam senex anum~~

Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?

Nunc istum ego, soror, laborem degam et deminuam tibi. 40

Ego virtute Deûm et maiorum nostrûm dives sum satis:

domum vel urbem ferre sepeliendi causa. Nep. Arist. 3: In tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. Nimirum hoc sibi vult Megadorus: Dummodo sponsa postridie nuptiarum moriatur, assentior nuptiis.

His legibus. Hisce conditionibus.

Cedo. Assentior. Nos: *mi arrendo*.

Nuptias adorna. Nuptias para. Megadorum ab uxore abhorrentem spectatoribus exhibet noster. Quo facto personae morem servat. Ita enim fieri videmus, ut qui diu coelibes libertate usi sunt, aegre omnino matrimonii iugum subeant.

Qui media ducit uxorem. Qui ducit mediae aetatis uxorem.

Anum. Data opera ad exhilarandam scenam *anum* appellat Megadorus mediae aetatis mulierem. Hoc nimirum debuit displicere Eunomiae, idque vultu etiam prodere. Namque vere Ariostus:

A donna non si fa maggior dispetto,

Che quando brutta o vecchia le vien detto.

Sit paratum nomen puero Postumus. Puer ille nascatur post patris mortem, ac propterea sit *postremus* filiorum.

Virtute Deûm. Ope, auxilio Deorum. Itali: *per grazia degli Dei*. Cf. Capt. II. 2. 74; Mil. III. 4. 84; Trinum, II. 2. 65.

Istas magnas factiones, animos, dotes dapsilis,
Clamores, imperia, eburata vehicla, pallas, purpuram,
Nil moror, quae in servitutem sumptibus redigunt viros.

EVNOMIA.

Dic mihi, sodes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?

MEGADORVS.

Eloquar. 45

Nostin'hunc senem Euclionem ex proxumo pauperculum?

EVNOMIA.

Novi, hominem haud malum mecastor.

MEGADORVS.

Eius cupio filiam

Virginem mihi desponderi. Verba ne facias, soror.

Scio, quid dictura es: hanc esse pauperem. Haec pauper
placet.

EVNOMIA.

Dî bene vortant!

MEGADORVS.

Idem ego spero.

Factiones. Societates divitum et nobilium. Nos: *aderenze, seguito.*

Animos. Animus in numero multitudinis saepe significat superbiam, fastum, elationem quandam animi. Ital. *fasto.*

Dotes dapsilis. Dotes copiosas, abundantes, a graeca voce *δαψιλῆς*, largus.

Imperia. Usurpatur haec vox in malam partem a poëta. Ita *Manliana imperia* apud Romanos in proverbium abierunt ad significanda imperia acerbiora et saeva. Hinc *impericosus* dicitur arrogans, qui imperio et auctoritate sua abutitur.

Eburata vehicla. Currus ebore exornati. Itali: *Carrozze guernite di avorio.*

Pallas. Est palla vestis exterior talaris, ampla et fluens, propria honestarum seminarum. Nos: *vesti a strascico.*

Nil moror. Nihili aestimo.

In servitutem sumptibus redigunt viros. Viros miseros reddunt ob sumptus ab iis tolerandos.

Sodes. Si audes. Ital. *di grazia.*

Haud malum. Probum.

EVNOMIA.

Quidni? Numquid vis?

MEGADORVS.

Vale. 50

EVNOMIA.

Et tu, frater.

MEGADORVS.

Ergo conveniam Euclionem, si domi
Est. Sed eccum; nescio unde se se homo recipit domum.

ACTVS II. - SCENA II.

EVCLIO, MEGADORVS.

EVCLIO.

Praesagibat mi animus, frustra me ire, quom exhibam domo:
Itaque abibam invitus: nam neque quisquam curialium
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet sum hic, a-
nimus domi est.

Quidni? Cur non?

Sed eccum etc. Hisce postremis verbis concinne haec scena coniungitur cum insequenti; ita ut nihil sit longius petatum aut ineptum, nihil quod a natura non fuisse profectum videatur.

In hac scena Euclio domum rediens, spe frustratus accipiendae pecuniae, secum ipse solus loquitur. Huic obuius fit Megadorus senex, ut filiam sibi poscat uxorem.

Praesagibat mi animus. — *Praesagire* est praedivinare, metaphora ducta a canibus. Nimirum *sagire*, uti ait Tullius, Divin. 1. 34, est acute sentire; ex quo sagaces dicti canes. Is igitur qui ante sagit quam oblata res est, dicitur *praesagire*, idest futura ante sentire.

Quisquam curialium. Nemo ex iis qui erant eiusdem curiae atque Euclio.

Egomet sum hic, etc. En avari imaginem, qui aliud agens, animo semper ad thesaurum revolvitur.

MEGADORVS.

Salvos atque fortunatus, Euclio, semper sies!

EVCLIO.

Dî te ament, Megadore!

MEGADORVS.

Quid tu? recten'atque ut vis, vales?

EVCLIO.

Non temerarium est, ubi dives blande adpellat pauperem.
Iam illic homo aurum scit me habere: eo me salutat blandius.

MEGADORVS.

Ain' tu, te valere?

EVCLIO.

Pol ego, haud perbene a pecunia.

MEGADORVS.

Pol si est animus aequos tibi, haec s'at, qui bene vitam colas. 10

EVCLIO.

Anus hercle huic indicium fecit de auro; perspicue palam est,

Salvos atque fortunatus semper sies! Formula salutationi respondens nostrae: *Il Cielo ti dia ogni prosperità.*

Dî te ament. Dii tibi sint propitii. Nos: *Buon giorno.*

Quid tu? Loquendi modus, quo utimur quum aliquem interrogamus, vel sermonem cum aliquo volumus ordiri; subintelligitur autem *agis* vel *ais*. Itali: *Come va? Ma dimmi?*

Non temerarium est. Non est sine causa.

Iam illic homo. Haec secum ipse loquitur Euclio suspiciosus, qui quidquid audiat, ad thesaurum refert. *Illic* pro ille.

Pol ego haud perbene a pecunia. Non multum bene valeo ad pecuniam quod attinet. Itali: *Non isto molto bene di danaro.* Quae responsio dum avarum hominem prodit, pertinet ad avertendam Megadori suspicionem de thesauro.

Si animos aequos. Nos: *Se sei d' animo discreto.* Huc respexit Molierius (*Avare*, act. I, sc. V), quum ita Cleonthem Harpagoni patri loquentem inducit: « *Mon Dieu! mon père, vous n'avez pas lieu de vous plaindre, et l'on sait que vous avez de bien.* »

Anus hercle etc. Euclio Megadori verba ad thesaurum transfert, ratus, hunc quidpiam rescivisse a Staphyla de thesauro abscondito.

Perspicue palam est. Itali: *La cosa è chiara.*

Quoi ego iam linguam praecidam, atque oculos excidiam
domi!

MEGADORVS.

Quid tu solus tecum loquere?

EVCLIO.

Meam pauperiem conqueror:
Virginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem;
Neque eam quo locare quoquam

MEGADORVS.

Tace; bonum habe ani-
mum, Euclio: 45

Dabitur: adiuvābere a me. Dic, si quid opus est; impera.

EVCLIO.

Nunc petit, quom pollicetur! inhiat aurum, ut devoret!
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera!
Nemini credo, qui large blandust dives pauperi:
Ubi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam. 20
Polypos ego istos novi, qui, ubi quid tetigerunt, tenent.

in abhuc manu tutto cōte vocat

Quid tu solus etc.? Admiratus Megadorus, Euclionem secum mussitare: Quid, ait, tu solus tecum loqueris?

Virginem grandem. Iam aetate propectam.

Dote cassam. Dote carentem.

Inlocabilem. Quae, ob inopiam, virum non potest invenire, cui nubat.

Quo locare. Per crasin. Queo locare.

Inhiat aurum. Aurum vehementer cupit. Dictio a belluis translata, quae aperto ore cibum appetunt.

Altera manu fert lapidem, etc. Proverbialis locutio, ducta ab hominibus, qui panem cani ostentant, quo facilius admoto lapidem, impingant. Satis sit semel notasse, proverbia apud comicos praesertim abundare. Hac enim ratione familiarem loquendi rationem imitantur, qua populus uti consuevit.

Manum iniicit. Manum cum manu copulat. Nos: *stringe la mano*.

Onerat aliquam zamiam. Infert aliquod damnum. Zamia a graeca voce ζημία, iactura.

Polypos ego istos novi. Polypus (a graecis verbis πολλός, *multus*, πούς, *pes*) est piscis marinus, qui scopulis et petris tam firmiter adhaeret, ut inde avelli non possit. Hinc usurpatur a Latinis pro homine rapaci.

MEGADORVS

Da mi operam parumper: paucis, Eucchio, est quod te volo
De communi re adpellare mea et tua.

EVCLIO.

Hei misero mihi!

Aurum mi intus harpagatum est: nunc hic eam rem volt,
scio,

Mecum adire ad pactionem: verum intervísam domum. 25

MEGADORVS.

Quo abis?

EVCLIO.

Iamiam ad te revortar: namque est, quod visam domum.

MEGADORVS.

Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mi ut despondeat, se se a me derideri rébitur;
Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.

Aurum harpagatum est. Raptum est. A graeca voce ἀρπάζω, rapio.

Eam rem. Ob eam rem.

Adire ad pactionem. Inire pactionem. Ital.: *venire a patti*.

Intervísam domum. Haec submissa voce secum loquitur Eucchio, potiusquam Megadoro respondeat.

Edepol. Certe. Formula iurisiurandi per deum Pollucem, viris et feminis communis. Illic vero animadvertendum est, *Pol* usurpari tamquam casum vocativum pro eo quod esset *o deus Pollux*, et litteram *e*, illi praepositam, vocis significationem intendere. Quum autem veteres pro *epol* scriberent etiam *cepol*, lapsu temporis, littera *d* interposita, fecerunt *edepol*. Caeterum nemo sane probabit absurdam explicationem *per aedem Pollucis*, quae a veteribus grammaticis excogitata, Forcellinio etiam nostro perplacuit.

Ubi mentionem fecero de filia. Mentionem facere erat apud Romanos sollemnis formula sponsaliorum, qua utebatur qui puellam vel sibi vel alii in matrimonium peteret. Item *despondere* erat vox, qua utebatur pater quum filiam alicui uxorem promitteret, vel quum pater adolescentis propositam conditionem acciperet, sponderetque pro filio, puellam ab eo ductum iri.

Neque quisquam hodie ex paupertate parcior. Hic versus prima fronte subobscurus legenti videbitur. Sed difficultas tota posita est in significatione dictionis *ex paupertate*, quae hic usurpatur a poeta pro eo quod esset *ex ordine*, *ex*

EVCLIO.

Dî me servant: salva res est: salvom est si quid non perit. 30
 Nimis male timui, priusquam intro redii! exanimatus fui!
 Redeo ad te, Megadore, si quid me vis.

MEGADORVS.

Habeo gratiam.

Quaeso, quod te percontabor, ne id te pigeat prôloqui.

EVCLIO.

Dum quidem ne quid percontēris, quod non lubeat proloqui.

MEGADORVS.

Dic mihi: quali me arbitrare genere prognatum?

EVCLIO.

Bono. 35

MEGADORVS.

Quid fide?

EVCLIO.

Bona.

MEGADORVS.

Quid factis?

EVCLIO.

Neque malis, neque improbis.

MEGADORVS.

Scis meam aetatem?

numero pauperum, ex pauperibus. Ital.: *tra la poveraglia*. Ita etiam aetas saepe ponitur a Latinis pro hominibus ipsis qui eius aetatis sunt: *senectus* pro *senibus*, *iuentus* pro *iuvenibus*.

Parcior. Tum in bonam partem de homine, qui suntibus moderetur, tum in malam de homine tenaci, avaro.

Di me servant: salva res est. Ita Molierius (*Avar.* act. I scen. IX.): *Ce n'est rien, Dieu merci.*

Salvom est si quid non perit. Avarus auro suo semper timens, etiamsi nunc salvum invenerit, metuit tamen in futurum, quasi diceret: si salvum est quod non periit, sed potest aliquando perire.

Habeo gratiam. Ital.: *Te ne sono obbligato*.

Genere prognatum. *Prognatus* dicitur de nepotibus; *natus* de filiis.

EVCLIO.

Scio esse grandem, itidem ut pecuniam.

MEGADORVS.

Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror.

EVCLIO.

Aurum huic olet.

Quid nunc me vis?

MEGADORVS.

Quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio:

Quae res recte vortat mihi tibiue tuaeque filiae,
Filiam tuam mi uxorem posco. Promitte, hoc fore.

EVCLIO.

Heia, Megadore, haud decórum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me inri-
deas:

Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres, quod
facis. 45

MEGADORVS.

Neque edepol ego te derisum venio neque derideo,
Neque dignum arbitror.

Mala malitia. Apud veteres *malitia* habebatur tamquam vocabulum medium, uti *dolus*, *facinus* aliaque id genus, quae in bonam iuxta atque in malam partem usurpantur. Hinc dictio: *mala malitia*.

Aurum huic olet. Haec secum avarus. Nos: *Costui sente l'odor del'oro*.

Quid nunc me vis? Subaudi: *facere*.

Quae res recte vortat. Solemnis praefatio apud Latinos, bene ominandi causa.

Innoxium abs te etc. Innoxium, quod pertinet ad te. Haud aliter in Curc. I.

1. 51: Tam a me pudica est, quasi soror mea sit.

Abs te. Ante vocabula, quorum prima littera est *q* aut *t*, fere semper ponunt *abs* optimi quique scriptores.

Facinus facis ut inrideas. Facinus facis me irridendo.

Inrideas. Ad rem Iuvenalis, Sat. III. 152: Nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit.

EVCLIO.

Cur igitur poscis meam gnatam tibi?

MEGADORVS.

Ut me propter tibi sit melius, mihiq̃ue propter te et tuos.

EVCLIO.

Venit hoc mihi, Megadore, in mentem, ted esse hominem
divitem,Factiosum; me item esse hominem pauperum pauperru-
mum : 50Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, et med asellum : ubi tecum coniunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto;
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi numquam
siem;Et ted utar iniquiore, et meus med ordo inrideat; 55
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortî fuit:
Asini me mordicibus scindant, cornibus incursent boves.*Factiosum.* Qui multis gaudet clientelis. Nos : *Chi ha molte aderenze.**Med asellum.* Latini veteres, qui concursus vocalium respuerent, saepe vocis in vocalem desinentibus addebant litteram *d*, tum maxime quum subsequentis vocis prima littera vocalis esset. Hoc quidem notum est ex Quintiliano, ex fragmento columnae rostratae, C. Duillio positae, atque ex aliis vetustioris latini sermonis monumentis.*Iaceam.... respicias.* Eleganter pro futuro. *Iacebo... respicies.**Magis haud... quasi etc.* Non magis quam si. *Magis haud.* Licenter poetarum more, pro *haud magis*.*Gnatus quasi nunquam siem.* Proverbialis dicendi modus, qui idem valet ac : Tu me omnino non respicies.*Meus ordo.* Homines mei ordinis, seu meae conditionis.*Stabile stabulum.* Sedem certam, in qua morari possim.*Si quid divortî fuit.* Si a te discessero : si qua exstiterit discordia. Divortium proprie usurpatur de loco, ubi aquae in diversas partes defluant ; translate de discessione coniugum et de qualibet discordia.*Mordicibus.* Fuere qui *mordicus*, nonnulli qui *morsibus* aut *mordicitus* legendum esse existimarent. Sed plerique, iidemque elegantissimi, maluerunt *mordicibus* ; rati, *mordices* a Plauto *dentes* appellari.*Cornibus incursent.* Cornibus aggredientur.

Hoc magnum est periculum, ab asinis me ad boves trans-
dere.

MEGADORVS.

Quam ab probos propinquitatem proxime te adiunxeris,
Tam optimum est. Tu conditionem hanc accipe (ausculta
mihi), 60

Atque eam mihi desponde.

EVCLIO.

At nihil est dotis quod dem.

MEGADORVS.

Ne duas :

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

EVCLIO.

Eo dico, *ut* ne me thesauros reperisse censeas.

MEGADORVS.

Novi: ne doceas. Desponde.

EVCLIO.

Fiat. — Sed proh Iupiter !

Num ego disperii?

MEGADORVS.

Quid tibi est ?

EVCLIO.

Quid crepuit quasi fer-
rum modo ? 65

Ab asinis me ad boves transcendere. Me pauperem coniungere necessitudine cum divite.

Quam proxime.... tam optimum est. Quo propius.... eo melius.

Conditionem accipe. Conditio, quum agitur de re nuptiali, est quod Italis: *partito*.

Desponde. Vox solemnis in nuptiis. Hinc *sponsalia*, *sponsus*.

Ne duas. Ne des.

Ne me thesauros reperisse censeas. En quemadmodum homo suspiciosus et avarus se ipsum vel invitus prodat.

Novi: ne doceas. Hac loquendi formula utimur, quum aliquod colloquium finire volumus. Italis: *So tutto: alle corte*.

Quid crepuit quasi ferrum modo? Egregius sane Plautinus locus hic est.

MEGADORVS.

Hic apud me hortum confodere iussi. Sed ubi hinc est homo?
Abiit, neque me certio rem fecit: fastidit mei.

Quia videt, me suam amicitiam velle, more hominum facit:
Nam si opulentus it peti tum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congregari; per metum male rem gerit; 70
Idem, quando occasio illaec periit, post sero cupit.

EVCLIO.

Si hercle ego te non elinguandam dederò usque ab radicibus
Impero que auctorque sum, ut me quoivis

MEGADORVS.

Video hercle ego te arbitrari me, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo. 71

EVCLIO.

Neque edepol, Megadore, facio, neque, si cupiam copia est.

qui suspiciosam avari naturam depingit. Nimirum vel perlevis strepitus curam avari affert, verito ne thesaurus suus forte effodiatur. Quare fingit poëta, Euclionem audito crepitu, quem forte ediderat qui hortum Megadori confodiebat, quasi exanimatum, relicto Megadoto, domum advolasse, visurum, num quis thesaurum suum defoderet. Qui locus ita Molierio adrisit, ut ipsum imitari non dubitaverit. Fingit enim gallus poëta (Avar. act. I. scen. vii.), Harpagonem, audito forte canis latratu, statim thesauro suo timuisse, quem in horto absconderat: « *Ouais! il me semble, que j'entends un chien qui aboie. N'est-ce point, qu'on en voudrait à mon argent? Ne bougez, je reviens tout-à-l'heure.* »

Sed ubi hinc est homo? Animadvertit Megadoto Euclionem aufugisse; secum ipse queritur, et pauperum mores accusat.

Congregari. Archaismus pro *congregari*. Ital.: *abboccarsi*.

Si hercle etc. Dum Megadoto haec secum, audiuntur ex altera scenae parte Euclionis clamores, qui, more suo, iurgia in Staphylam iactat propterea quod suspicatur, ipsam de thesauro cum vicinis esse collocutam.

Impero auctorque sum, ut me etc. Italice: *Son contento, che tu ecc.*

Hominem idoneum, quem etc. Hominem dignum, quem tu irrideas.

Senecta aetate. Veteres usurparunt etiam tamquam adiectivum *senectus*, a, um pro *senilis*. Sic Lucretius, iii. 774: *Membris senectis*.

Neque, si cupiam, copia est. Subobscura, primo statim adspectu, videntur haec verba, quibus Euclio testatur, etiamsi cuperet, se non posse ludos facere.

AULULARIA - ACTVS II.

MEGADORVS.

Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?

EVCLIO.

Illis legibus,

Cum illa dote, quam tibi dixi.

MEGADORVS.

Sponden' ergo?

EVCLIO.

Spondeo.

MEGADORVS.

Dî bene vortant!

EVCLIO.

Ita dî faxint! Illud facito ut memineris
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te adferret filia. 80

MEGADORVS.

Memini.

EVCLIO.

At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier:
Pactum non pactum est, non pactum pactum est quod vo-
bis lubet.

MEGADORVS.

Nulla controversia mihi tecum erit. Sed nuptias

Verum difficultas evanescet, si animadvertamus, voluisse Euclionem iocari in locutione ipsa *ludos facere*, hanc referendo ad ludos, quibus beatiores homines plebem oblectarent. Negat nimirum, se tam divitem esse, ut pecuniam profunderet possit in publicos ludos. Quod quidem artificium sic verba usurpandi, ut alium his sensum tribuas, atque ille vult, qui locutus est, pertinet praesertim ad comicos, qui hac ratione risum spectatorum saepe excitare consueverunt.

Illis legibus. Conditionibus, pactis.

Illud facito ut memineris. Haec omnino sunt ad avari naturam comparata.

Vos soleatis. Vos divites, quum quidpiam paciscimini cum pauperibus.

Perplexarier. Agere ambigue et captiose.

Pactum non pactum etc. Voluit Plautus hisce verbis significare tergiversationes et fallacias, quibus saepe utuntur potentiores adversus tenuiores.

Hodie quin faciamus, num quae causa?

EVCLIO.

Imo edepol optuma.

MEGADORVS.

Ibo igitur; parabo. Numquid vis?

EVCLIO.

Istuc.

MEGADORVS.

Fiat. Vale. 85

Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.

EVCLIO.

Ille hinc abiit. Dî immortales, obsecro, aurum quid valet!
Credo ego illunc iam inaudisse, mi esse thesaurum domi:
Id inhiat; ea adfinitatem hanc obstinavit gratia.

Istuc. Subint.: Volo istud, nempe ut nuptiae parentur.

Ad macellum. Olim varia fuerunt in urbe Roma loca, in quibus separatim varii generis obsonia venderentur. Fuit nimirum forum piscarium, forum olitorium, forum cupedinis (more nostro: *il mercato de' pesci, dell'erbe, dei cibi più delicati*). Lapsu temporis omnia quae ad victum pertinerent, in unum locum fuerant contracta. Hic autem locus *macelli* nomine fuit donatus a *Macello* quodam, latrone romano, quo damnato, censores statuerunt, ut in domo eius obsonia venderentur. Alii *macellum* profectum volunt a *maciandis pecoribus*. Alii demum a gracca voce *μάκελλον*, quae *septum* significat. Quare, *sequere propere me ad macellum*, erit ita c: *vieni subito con me in piazza*.

Strenue. Nos: *Prontamente, da bravo*.

Credo ego illunc etc. Semper sibi constat anus; perpetua suspicione laborat.

Adfinitatem obstinavit. Dictio singularis, pro eo quod esset: obstinato animo adfinitatem expetivit.

ACTVS II. — SCENA III.

EVCLIO STAPHILA.

EVCLIO.

Vbi tu es, quae deblaterasti iam vicinis omnibus,
Meae me filiae daturum dotem? Heu Staphyla, te voco.
Ecquid audis? Vascula intus pura propere atque elue.
Filiam despondi ego; hodie nuptum huic Megadoro dabo,

STAPHILA.

Dî bene vortant! Verum ecaster non potest, subitum est nimis.

EVCLIO.

Tace atque abi Curata fac sint, quom a foro redeam domum.
Atque occludito aedis: iam ego hic adero.

STAPHILA.

Quid ego nunc agam?

.
.
.

Ibo intro, ut herus quae imperavit, facta, quom veniat, sient.
Nam ecaster molum moerore metuo ne mistum bibam.

Ubi tu es, etc. Domum reversus Euclio, credens Staphylam quidpiam indicasse de thesauro, illam rursus obiurgat.

Deblaterasti. Deblaterare est inani loquacitate obstrepere, inepte loqui. Itali: *chiaccherare*. Usurpatur vero praesertim de pueris et feminis vulgaribus, quae quidquid in buccam venit, statim garriunt.

Vascula pura etc. Hic quispiam fortasse inquiet: si nuptiae parabantur domi apud Megadorum, cur Euclio iubet Staphylam vasa purificare? Hoc pertinet ad Romanorum morem, qui ante nuptias solerent Iunoni, Veneri et Gratiis sacrificare. Iam vero vasa, quibus in sacrificiis utebantur, diligenter purgabant.

Curata fac sint. Purgata fac sint.

Occludito aedis. Hoc Staphylam monet quotiescumque domo exit avarus.

Nam ecaster malum etc. Hic versus diu torsit interpretum ingenium, dum alii legerent *malum moerorem*, alii *malum meracum*. Potior haec nobis lectio videtur: metuo, ne bibam malum cui moeror additus sit. Metuo, ne malum cum moerore sim passura.

ACTVS III

SCENA I.

STROBILVS, ANTHRAX, CONGRIO.

STROBILVS.

Postquam obsonavit herus et conduxit cocos
 Tibicinasque hasce apud forum, edixit mihi,
 Ut dispartirem obsonium hinc bifariam.

ANTHRAX.

Me tu quidem hercle (edico palam) non divides;
 Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.

5

Postquam obsonavit etc. Novam hic scenam spectatoribus exhibet Plautus, in qua colloquentes inducit Megadori servum et coquos, quos iste ad nuptias conduxerat. Hi vero, uti fit, iniecta Euclionis mentione, festivos quosdam iocos effundunt de ipsius avaritia. *Obsonare* est Latinis obsonia comparare, emere.

Conduxit cocos. Si de re sermo sit, *conduco* significat, rem aliquam utendam pretio accipere; ut conducere domum, *pigliare a pigione una casa*. Si vero de persona, idem est ac, operam alicuius hominis mercede comparare. Diceret italice: *pigliare a lavorare*. Siquidem qui coquos familiares non habebant, eos in foro conducebant. Haec autem coquorum nomina a rebus culinariis sunt deducta. *Anthrax* (ἄνθραξ) carbonem significat; *Congrio* dictus a *congro*, qui genus est piscis marini, anguillae similis.

Tibicinas. Mulieres quae tibia canerent. Nos: *suonatrici da flauto*. Hic tempus admonet, ut animadvertamus, hunc morem fuisse apud Romanos, ut homines ditiores inter coenandum oblectarentur non solum cantu tibicinarum et lyristarum, sed etiam spectaculo comoedorum et paellarum saltantium. Quod quidem patet ex Plinio, Epist. I. 15.

Me tu quidem . . . non divides. Hic iocantur inter se Strobilus et coqui; sed, plebeiorum hominum ritu, iocos fundunt flagitiosos.

.

STROBILVS.

Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
 Non istuc, quo tu insimulas. Sed herus nuptias
 Meus hodie faciet.

ANTHRAX.

Quoius ducet filiam?

10

STROBILVS.

Vicinid Euclionis huius e proxumo.
 Ei adeo obsóni hinc iussit dimidium dari,
 Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.

ANTHRAX.

Nempe huc dimidium dicis, dimidium domum?

STROBILVS.

Nempe, sicut dicis.

ANTHRAX.

Quid? hic non poterat de suo
 Senex obsonari filiaj in nuptiis?

13

STROBILVS.

Vah!

ANTHRAX.

Quid negoti est?

Aliovorsum. Alio consilio, alio sensu.

Obson. hinc dimid. Obsonii dimidium ex domo sua.

Cocum alterum. Animadvertite, lector, discrimen, quod intercedit inter voces *alter et alius*. *Alter* dicitur quum duo tantum sint; *alius* quum de pluribus sermo sit. Sic: cocum alterum, *l'uno dei due cuochi*. Cocum alium, *un altro cuoco*.

Huc dimidium. Subint. *ferre*. *Nempe huc*. Idest in domum Euclionis.

Domum. Supp. Megadori.

Nempe sicut dicis. Nos: *Appunto come tu di*.

Obsonari de suo. Subint. *aere*. Hinc italica loquendi formula: *del suo*.

Vah! Interiectio varios affectus significans. Hic est vox admirantis. *Diceres* italice; *Come!*

STROBILVS.

Quid negoti sit rogas?

Pumex non aequè est aridus, atque hic est senex.

ANTRAX.

Ain' tandem, ita esse, ut dicis?

STROBILVS.

Tute existima.

Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,

Suam rem periisse, seque eradicarier,

De suo tigillo fumus si qua exit foras.

Quin, quom it dormitum, follem obstringit ob gulam.

ANTRAX.

Cur?

STROBILVS.

Ne quid animae forte amittat dormiens.

Pumex non aequè est aridus etc. Dictio metaphorica pro eo quod esset: hic senex est avarorum avarissimus. Pumex est genus lapidis cavernosi et friabilis, quo utebantur veteres praecipue ad laevigandas membranas librorum. *Aridus*, translate: tenax, avarus.

Non aequè. . . . atque hic. Satis sit semel monuisse. Latinos in comparationibus usurpare potius particulam *atque* quam *ac*, praesertim quum vox sequatur incipiens a vocali et a littera *h*.

Ain' tandem? Usurpatur *tandem* redundantiae causa, et elegantem habet usum in interrogationibus, quum praesertim aliquem urgemus ad loquendum.

Tute existima. Nos: *Giudicane tu stesso.*

Se eradicarier. Se omnibus fortunis everti. Ital.: *che egli è rovinato.* Festive autem iocatur de Euclionis avaritia Strobilus, quum ait ita avarum illum esse, ut cuperet, ne fumum quidem exiret ex domo sua.

Follem obstringit ob gulam. Follis nomine intellige crumenam, seu marsupium ex corio confectum. Nos: *una borsa di pelle.* *Ob gulam.* Circum gulam. Ital.: *intorno alla sommità.*

Ne quid animae etc. Itali: *Niente di fiato.* Quum spectatores tale responsum non expectarent, facile hoc ioco Strobili solvuntur in risum; atque eo magis quum Anthrax iocum continuat dicens: *Etiamne ob'urat inferiorem gutturem?* Ital.: *Tura egli forse anche il buco di sotto?* Hic enim nomine gutturis inferioris intelligitur *anus*, seu *podex*. Turpiculus sane iocus qui honestas personas dedeceret.

ANTHRAX.

Etiamne obturat inferiorem gutturem?

24

STROBILVS.

Haec mihi ted, ut tibi med, acquom est credere.

ANTHRAX.

Credo imo equidem, credo.

STROBILVS.

At scin' etiam quomodo?

Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere.

ANTHRAX.

Censen', talentum magnum exorari potis

Ab istoc sene ut det, qui fiamus liberi?

30

STROBILVS.

Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit.

Quin, ipsi pridem tonsor unguis demserat:

Conlegit, omnia abstulit praesegmina.

ANTHRAX.

Edepol mortalem parce parcum praedicas.

CONGRIO.

Censen' vero, adeo parcum et misere vivere?

35

STROBILVS.

Pulmentum pridem eii eripuit miluos:

Homo ad praetorem deplorabundus venit;

Ibi infit postulare, plorans, eiulans,

At scin' etiam quomodo? Supp. Scisne, quomodo etiam avaritiam suam prodit?

Talentum magnum etc. Talentum maius seu magnum erat summa pecuniae efficiens 5,710 franchi. Vid. *Leironne, Consid. sur les monnaies grecques et romaines.*

Exorari. Obtineri.

Famem utendam, si roges. Ital.: *Se tu gli domandassi in prestito la fame.*

Pridem. Ital.: *poc' anzi.*

Praesegmina. Frusta ex re aliqua desecta. Nos: *I ritagli delle unghie.*

Parce parcum. Pro gradu superlativo: parcissimum.

Pulmentum. De quolibet cibo vilior.

Ut sibi liceret miluom vadarier.

Sexcenta sunt, quae memorem, si sit otium.

40

Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.

CONGRIO.

Ego, ut multo melior.

STROBILVS.

Cocum ego, non furem, rogo

CONGRIO.

Cocum ergo dico.

STROBILVS.

Quid tu ais?

ANTHRAX. *Congrio*

Sic sum, ut vides.

CONGRIO. *Ant.*

Cocus ille nundinalist: in nonum diem
Solet ire coctum.

Sexcenta. Pro numero ingenti et indefinito, ut *μύριοι* apud Graecos, *mille* apud Italos.

Vostrorum. Archaismus, pro *vestrum*.

Cocum ego, non furem, rogo. Prima fronte lector non satis causam intelligit, ob quam Strobilus hisce verbis respondeat Congrioni. Verum causa statim patebit, si animadvertamus, vulgo *celeres* furum manus appellari. Quare huc spectans Strobilus, Congrioni, qui se celerem iactaret: Memento, ait, me velle coquum non furem.

Cocum ergo dico. Italice: *Sono appunto desso.*

Quid tu ais. Quum Strobilus ad Anthracem conversus, eum interrogasset: *Quid tu ais?* nimirum qua es celeritate? Hic respondet: *Sic sum ut vides.* Quasi diceret: *Son qui per servirti.*

Cocus ille nundinalist. Coquus nundinalis est latinis idem ac coquus vulgaris et vilis. Nos: *Guoco dozzinale*. Si quis vero causam quaerat, cur *nundinales* appellarentur huiusmodi coqui parum periti, duplex afferri potest. Vel nundinalis coquus dictus est qui solum tempore nundinarum conducerebatur; quum nempe plebs ex agris in urbem conveniret, essetque maior hominum frequentia in urbe. In his enim rerum adiunctis, necessitatis causa, utebantur Romani etiam opera coquorum, qui minus artem suam callerent. Vel coquus *nundinalis*, seu *novendialis* dictus est, qui coenam mortuariam coqueret, quae nono die parabatur post excessum alicuius. Ital.: *Chi va a cucinare per i morti.*

ANTHRAX.

Tun', trium literarum homo,

45

Me vituperas?

CONGRIO.

Fur? Etiam fur trifurcifer.....

STROBILVS.

Tace nunc iam tu, atque agnum hinc uter est pinguior...

CONGRIO.

Licet....

STROBILVS.

Tu sume.

CONGRIO.

At qui?

STROBILVS.

Abi intro huc. Vos eum sequimini.

Vos ceteri illuc ad nos.

CONGRIO.

Hercle iniuria

Dispartivisti: pinguiorem agnum isti habent.

50

STROBILVS.

At tibi nunc dabitur pinguior tibicina.

Trium literarum homo. Anthrax indignatus verbis Congrionis, in iurgium erumpit, et Congrionem appellat hominem trium literarum, hoc est *furem*. Si- quidem tribus literis constat vox *fur*.

Trifurcifer, vel *furcifer* erat apud Romanos quod apud nos: *ceffo da forca*.

Tace nunc. Strobilus coquorum iram sedaturus, tace, ait, et vide uter agnus sit pinguior. Namque unus Euclioni dandus erat, alter vero in Megadori domum ferendus.

Agnum hinc. Supp. vide.

Licet.... Coquus Strobilum loquentem interpellat, quasi dicturus: Licet id qui- dem videre vel coeco, uter horum sit pinguior.

Pinguior tibicina dabitur. En iocum, qui caveae risum excitat. Caeterum, ut id obiter moneam, notant archaeologi, tibicines et tibicinas plerosque apud Roma- nos fuisse pingues, propterea quod sacrificiis frequenter adhibiti, abunde carnibus vescerentur. Nimirum post sacrificium visceratio fiebat. Haec visceratio erat epu-

I sane cum illo, Phrygia. Tu autem, Eleusium,
Huc intro abidum ad nos.

CONGRIO.

O Strobile subdole,
Huccine detrusti me ad senem parcissomum,
Ubi, siquid poscam, usque ad ravim poscam prius 55
Quam quidquam detur?

STROBILVS.

Stultum et sine gratia est,
Te ibi recte facere, quando quod facias, perit.

CONGRIO.

Quî vero?

STROBILVS.

Rogitas? Iam principio in aedibus
Turba istic nulla tibi erit; si qui uti voles,
Domo abs te adfero, ne operam perdas poscere. 60

lum, quod parabatur ex visceribus, sive carnibus immolatis, quae distribuebantur inter illos, qui sacrificio adfuissent. In his autem erant tibicines.

I sane cum illo. Particula *sane* cum imperativis habet maiorem affirmandi vim. Diceret italice: *Si, vattene con lui.*

Phrygia — Eleusium. Nomina tibicinarum.

Abidum. Non semper, ut falso nonnulli existimarunt, vehementiam addit haec particula *dum*, Comicis praesertim usurpata; quae, aliis verbis adiuncta indicat, rem in ipsum illud, quod agitur, tempus incidere. Ita sit in verbis cohortantibus, in imperativis et interiectionibus, agedum, tacedum, ehodum. Graeci scribunt δὴ, ἄγε δὴ.

Detrusti. Sync. Detrusisti.

Stultum et sine gratia etc. Sensus est: Stultum est et molestum, beneficium in aliquem conferre, quum tibi nulla gratia habetur beneficii. Itali: *È cosa da pazzo e noiosa il far del bene, quando altri non te ne sa grado.* Haec autem ait Strobilus, propterea quod audivisset Congrionem querentem, quod missus fuisset in domum Euclionis, potius quam in domum Megadori.

Quî vero? Quomodo? Petit nempe Congrio, ut clarius rem sibi explicet Strobilus.

Iam principio etc. Hisce verbis et sequentibus nititur Strobilus ostendere Congrioni, meliorem partem ei contigisse.

Si qui. Si quo negotio.

Operam perdas poscere. Operam perdas poscendo.

Illic autem apud nos magna turba ac familia est,
 Supéllex, aurum, vestes, vasa argentea:
 Ibi si perierit quidpiam (quod te scio
 Facile abstinere posse, si nihil obviam est),
 Dicant: Coci abstulerunt: comprehendite,
 Vincite, verberate, in puteum condite!
 Horunc tibi istic nihil eveniet: quippe qui,
 Ubi quid subripias, nihil est. Sequere hac me.

ANTHRAX.

Sequor.

ACTVS III. - SCENA II.

STROBILVS, STAPHYLA, CONGRIO.

STROBILVS.

Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi!

STAPHYLA.

Qui vocat?

STROBILVS.

Strobilus.

STAPHYLA.

Quid vis?

Quod te scio etc. Haec spectant ad rapacitatem, quam Anthrax modo exprobra-
 verat Congrioni.

Si nihil obviam est. Si nihil tibi se se offert surripiendum. Risum spectato-
 rum facile eliciunt haec verba, quae nobis in memoriam revocant festivum eiusdem
 modi iocum in furacem servum, qui legitur apud Tullium, de orat. II. 61: *So-
 lum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum.* Quae quidem in-
 telligi possunt et de bono servo, cui tantum fideret herus, ut nihil domi claude-
 ret, et de servo rapace, qui, furandi causa, omnia clausa aperiret. Italice: *Era
 il solo per cui in casa non vi era niente di chiuso.*

In puteum condite. Putci nomine intellige, lector, hypogeum, sive locum subter-
 raneum, in quem supplicii causa improbi servi condebantur. Sunt qui putent,
 fuisse verum puteum, in quo servi suspensi in aqua detinerentur. Sed parum pro-
 babilem hanc opinionem arguunt ea quae paullo post dicentur a Pythodico.

Quippe qui, ubi etc. Ibi enim nihil invenies, quod possit surripi.

Qui vocat?.... Quid vis? Non statim aperit Staphyla; sed ex heri iussu, et
 de more nonnullis interrogationibus tentat inclamantem.

STROBILVS.

Hos ut accipias cocos

Tibicinamque obsoniumque in nuptias.

Megadorus iussit Euclioni haec mittere.

STAPHYLA.

Cererin' facturi has, mi Strobile, nuptias? 5

STROBILVS.

Qui?

STAPHYLA.

Quia temeti nihil adlatum intellego.

STROBILVS.

At iam adferetur, si a foro ipse redierit.

STAPHYLA.

Ligna hic apud nos nulla sunt.

CONGRIO.

Sunt asseres?

STAPHYLA.

Sunt pol.

CONGRIO.

Sunt igitur ligna: ne quaeras foris.

Obsonium. Proprie fuit Latinis quod cum pane comeditur (*il companatico*). Iuvat tamen notare, pisces praesertim obsonii nomine fuisse donatos.

Cererin' facturi nuptias? - *Cerealia* dicta fuerunt apud veteres festa, quæ in honorem Cereris fiebant; in quibus matronae albis togis indutae, discurrentes cum facibus, luctum et errores Cereris celebrabant ob amissam Proserpinam. In his autem festis vetitum erat vino uti, quod laetitiae causa est. Hinc illa dictio: *Cereri nuptias facere*, quae idem valet atque *epulas sine vino parare*. Ceterum hic velim lectores animadvertere, quemadmodum personarum mores diligentissime servet Plautus. Huiusmodi vetulae, uti erat Staphyla, bibaces plerumque et vinosae esse consueverunt (Cf. Ovid. Fast. III. 765). Quare statim queritur, quod una cum obsonio nihil vini fuisset allatum.

Temeti. Vini.

Ipsus. Ipse, hoc est Megadorus.

Asseres. Tabulae sectiles.

STAPHYLA.

Quid, impurate? quamquam Volcano studes, 40
Coenaene causa, aut tuae mercedis gratia,
Nos nostras aedis postulas comburere?

CONGRIO.

Haud postulo.

STROBILVS.

Duc istos intro.

STAPHYLA.

Sequimini.

ACTVS III. - SCENA III.

PYTHODICVS.

Curate; ego intervisam, quid faciant coci,
Quos pol ego ut hodie servem, cura maxuma est.
Nisi unum hoc faciam, in puteo uti coenam coquant;
Inde coctam sursum subducemus corbulis;
Sin autem deorsum comedant, si quid coxerint, 5
Superi incoenati sint, et coenati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negoti nil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in aedibus.

Impurate. Impure.

Quamquam Volcano studes. Vulcanus usurpatur hic pro igne. *Volcano studes*, hoc est ignem tractas; tamquam coqus semper circa ignem versaris. Huc autem recidit iurgium, quod Staphyla iacit in Congrionem: o homo impure, quamvis tractes semper ignem, qui solet omnia purgare.

Pythodicus. Hic est alius Megadori servus.

Nisi unum hoc faciam. Ait Pythodicus, se iussurum, coquos coenam parare in loco subterraneo, ubi nihil sit quod possint suppilare.

Superi.... inferi. Haec ad hilarandam caveam. Siquidem duplici sensu accipi possunt. *Superi* et *inferi* erant apud veteres Dii coelestes et inferorum. Hic vero usurpat Pythodicus haec verba pro eo quod esset: Nos, qui sumus in parte superiore aedium, essemus incoenati; coci autem in loco subterraneo essent coenati.

Verba hic facio. Hic tempus tero. Ital.: *sto qui a chiaccherare*.

Rapacidarum. Rapacium. Cavillandi gratia Plautus novum hoc vocabulum excudit. Nimirum *rapacidas* appellat coquos, quemadmodum dicimus Scipiadas,

ACTVS III. - SCENA IV.

EVCLIO, CONGRIO.

EVCLIO.

Volui animum tandem confirmare hodie meum,
 Ut bene me haberem filiai in nuptiis:
 Venio ad macellum, rogito piscis; indicant
 Caros, agnīnam caram, caram bubulam,

Aeacidās, nomine quod patronymicum vocant; quasi coqui essent ex familia *rapacium*.

Quemadmodum a diversis moribus, quos pingeret Romanorum comoedia, modo *palliata*, modo *togata* appellabatur ita pro diverso affectuum genere vel *statariae*, vel *motoriae* nomen ei factum est. Iamvero quum pleraque pars huiusce Aululariae affectibus abundet, ac tumultuose agatur, clamore summo, cum labore maximo, iam patet, inter comoedias motorias hanc esse recensendam. Et revera, ut omittamus perpetuas Euclionis sollicitudines ob thesaurum absconditum, et crebras inter ipsum et Staphylam rixas, haec una coquorum turba, in quam avarus, tamquam furens, invehitur in proxima scena, comoediae genus apertissime testatur. Nimirum Euclio meditabundus de obsoniorum caritate domum revertebatur a foro. Sed dum propius ad aedes suas accedit, duo praesertim illius animum percellunt. Primum ianua aedium aperta, quam diligentissime clausam esse iusserat; deinde tumultus, quem in domo sua fieri exaudit, ac praesertim quod ollae mentionem fieri accipit. Coqui enim, ad coquenda obsonia, ollam capaciorem expostulabant. Quare Euclio praeceps in aedes irrumpit atque in omnes debacchatur.

Volui animum etc. In hac scena primum Euclio nobis exhibetur secum ipse de rebus suis loquens. Volui tandem, ait ille, animum meum hodie confirmare, hoc est animum sumere. Ital.: *farmi coraggio*. Et recte quidem avarus ait, sibi animum fuisse confirmandum; namque agebatur de faciendis impensis.

Ut bene me haberem. In hoc loco *bene se habere* idem est atque Italis: *trattarsi bene*.

Rogito piscis. Peto quanti vendantur pisces.

Indicant caros. Indicare carum est magnum pretium constituere. Nos: *me ne domandano un prezzo smisurato*.

Agninam, bubulam, vitulinam, porcinam. Gradatio, quae avarum decet. Primum petit de agnina, veluti vilioris pretii, deinde de bubula, de vitulina etc.

Agninam. Supp. carnem. In comoedia, quae inscribitur *Captivi* (IV. 2. 39.), *agnina dupla* dicitur a Plauto caro agni iam grandioris. Nos: *carne d'agnello vecchio*.

Bubulam. Nos: *carne di manzo*.

Vitulinam, cetum, porcīnam, cara omnia; 5
 Atque eo fuerunt cariora, aes non erat.
 Abeo inde iratus, quoniam nihil est quod emam:
 Ita illis impuris omnibus adivi manum.
 Deinde egomet mecum cogitare inter vias
 Occepi: Festo die si quid prodegeris, 10
 Profesto egere liceat, nisi peperceris.
 Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
 Accessit animus ad meam sententiam:
 Quam minumo sumtu filiam ut nuptum darem.
 Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas; 15

Cetum. Cetus vel cete, est nomen generale piscium omnium maiorum, qui sunt in mari, uti balaena, thynni, delphini, aliique id genus. Sed a Plauto usurpatur praesertim haec vox de piscibus, qui esui sunt, et saliri consueverunt. Nimirum *cetus* Plauto est quod Italici *il salume*. Hoc autem clarius patet ex eo, quod supra iam memoravit *pisces*. Hi sunt *i pesci freschi*: *cetus* vero, *i pesci salati*.

Atque eo fuerunt cariora, aes non erat. Supp. quod. Iocus ad laetificandos spectatores. Nos: *Ed erano tanto più cari, perché io non aveva un quattrino*.

Illis impuris. Impurus interdum est scelestus, improbus. Ital.: *a quella canaglia*.

Adire manum. Locutio proverbialis pro eo quod est decipere, fallere. Quod fit videlicet quum alicui quidpiam porrigimus, tamquam daturi, deinde manum subito retrahimus et captantem deludimus. Hic rursus monendi sunt lectores, ut Plautinam praestantiam magis magisque animadvertant in exprimendo avari ingenio. Nempe videbat Euclio, quidpiam esse parandum in filiae nuptiis. Venit in macellum, sed ibi avaritia obstat quominus aliquid emat, et domum vacuus revertitur.

Inter vias. Itali: *tra via*.

Prodegeris. Immoderate effuderis; largius quam par est impensas feceris. Nos: *avrà speso più del convenevole*.

Profesto egere liceat. Potest fieri, ut illo egeas die non festo.

Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi. Postquam rem impensius mecum ipse agitavi.

Accessit animus ad meam sententiam. Ego assensus sum huic sententiae. Italice: *ho finalmente risoluto*.

Tusculum. Parvam turis quantitatem. En quo progreditur aridum Euclionis ingenium!

Haec imponentur in foco nostro Lari,
 Ut fortunatas gnatae faciat nuptias.
 Sed quid ego apertas aedis nostras conspicio?
 Et strepitus intus! Numnam ego compilor miser?

CONGRIO.

Aulam maiorem, si potest, viciniam 20
 Pete: haec est parva; capere non quit.

EVCLIO.

Hei mihi!

Perii hercle hodie! aurum rapitur! aula quaeritur!
 Nimirum occidior, ni intro huc propero currere!
 Apollo, quaeso, subveni mi atque adiuva,
 Quoi *tu* in re tali iam subvenisti antithac! 25
 Confige sagittis fures thesaurarios!
 Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

Aulam maiorem. Dum spectatores animum intendunt in avarum, haec secum loquentem, exaudiunt coqui verba clamantis, ut alia olla capacior utenda sumeretur a vicinis, propterea quod nulla esset in domo Euclionis.

Si potest. Si pote est, si fieri potest.

Capere non quit. Suppone agnum, qui erat coquendus. Hic elucet vis comica poëtae, qui ingeniose hoc excogitavit, ut, Euclione domum adventante, ollae mentionem faceret Congrio. Namque statim avarus animo ad ollam revolvitur, in qua latebat thesaurus, et ratus se compilari: Hei mihi, exclamat, aurum rapitur.

Occidior. Fortunis omnibus evertor.

Apollo quaeso. Iuvat notare, quantum haec omnia ad humanam naturam graphice exprimendam sint comparata. Siquidem natura mortalibus est insitum, ut, si quo in periculo praeter opinionem versentur, statim ad Deum confugiant, eiusque opem expostulent. Quare statim Euclionem exhibet poëta, Apollinis auxilium implorantem. Si quis autem quaerat cur Apollo prae ceteris diis in hisce rerum adiunctis exoretur ab Euclione, aio; Apollinem apud veteres habitum fuisse tamquam praecipuum malorum depulsores. Quare ἀλεξίκακος dictus est ab ἀλέξω, arceo, κακὸν malum, quasi mala arcens.

In re tali. In huiusmodi rerum adiunctis. Ital.: *in altre simili occorrenze.*

Sed cesso etc. Interdum cesso idem valet ac moror, differo, negligens sum in agendo. Nos: *Ma che tar do a correre, prima che io sia pienamente rovinato?*

ACTVS III. - SCENA V.

ANTHRAX.

Dromo, desquama piscis. Tu Machaerio,
 Congrum, muraenam exdorsua, quantum potest.
 Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
 A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,
 Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiust.
 Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
 Coci hercle, credo, faciunt officium suum.
 Fugiam intro, ne quid turbai hic itidem fuat.

Dromo desquama etc. In hac scena spectatur domi apud Megadorum Anthrax coquus, officia singulis servis dispertiens. *Dromo, onis*, proprie nomen est piscis sic dicti a velocitate; graece enim δρόμος cursum sonat a δρέμω curro. Hic vero est nomen illius ex servis Megadori, quem lacchè vernacule appellare consuevimus.

Tu, Machaerio. Sunt qui arbitrentur, *Machaerio, onis* esse nomen servi; alii e contrario existimant esse casum ablativum nominis *Machaerium, ii*, quod cultrum significat; est enim a graeco μάχομαι, *pugno*. Utram velimus sequi licet lectionem. Namque sensus Plautinus sibi pariter constat.

Muraenam. Piscis genus, anguillae similis. Fuit vero muraena Romanis in deliciis, tum ob saporis praestantiam, tum quod diutissime vivat, tum etiam quod dominum agnoscere discebat, atque accedebat ad manum. Quare lautiores homines in piscinis muraenas coërcabant.

Exdorsua. Exime, vel confringe dorsum.

Quantum potest. Quam primum, quam celerrime fieri potest. Quae locutio elliptica veteribus scriptoribus est perfamiliaris.

Artoptam. Artopta, graeca vox, est vas, in quo panis delicatior coquitur ab ἄρτος panis, ὀπτᾶω coquo. Italice: *vaso da cuocervi il pane*.

Glabriorem. A deglabrando, *pelare*. Nos: *più liscio*.

Volsus ludiust. Vulsus a vellendo, ital.: *pelato*. Ludii primum apud Romanos dicti fuerunt adolescentes quidam puberes, decoris tunicis induti, galea, ense et parma armati, qui in pompis circensibus et theatralibus primi incedebant, erantque veluti pompae ductores. Postea vero ludii, vel ludiones fuerunt appellati quicumque vel in circo, vel in theatris, vel per compita ludos facerent oblectandi populi causa. Ital.: *giocolieri*. Solebant autem huiusmodi ludii, ut teneri, delicati et iuniores apparerent, glabros se, quam maxime possent, reddere. Nos: *si strappavano i peli sul viso*.

Coci faciunt officium suum. Hoc est furantur de more; hinc illi clamores

ACTVS III. - SCENA VI.

CONGRIO.

Obdati cives, populares, incolae, adcolae, advenae omnes,
 Date viam, qua fugere liceat! facite totae plateae pateant!
 Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bac-
 chanal coquinatum:
 Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contu-
 derunt.

illae turbae. In fabulis Plautinis rapaces semper pinguntur coqui. Cf. Pseudol.
 III. 2. 2: Forum coquinum qui vocant, stulte vocant; Nam non coquinum est,
 verum *furinum* est forum.

Obdati cives. Cives, qui mihi obviam dati seu facti estis.

Populares. Eiusdem populi, conterranei. Ital.: *compaesani*.

Incolae. Qui in ipso loco habitant. *Adcolae;* qui iuxta locum habitant. Incola,
 ital.: *abitante*; accola, *vicino*.

Date viam etc. Actionis unitas, in comoedia servanda, non obstat quominus
 episodica in fabulam inserantur, dummodo ea sint, quae apte cum fabula cohae-
 reant, eamque iuvare videantur. Quod quidem diligentissime a Plauto servari
 videmus in hoc coquorum episodio, quo dum theatro exhilarando studet, mirum
 in modum avari Euclionis ingenium et mores depingit. Hic enim, audito statim
 clamore et strepitu coquorum, veluti amens domum suam ingressus, conviciis pri-
 mum coquos et servos obruit, deinde pugnis, calcibus, fustibus insequitur, tam-
 quam praedones ollae suae manifestarios. Et potiusquam Euclionem inducat, co-
 quos in scena verberantem (quod molestiam fortasse humanioribus spectatorum
 animis creasset), facit ut Congrio male ab Euclione habitus, domo egrediatur,
 omnium opem atque auxilium implorans.

Plateae. Viae latiores in urbe.

Ad Bacchas veni etc. Veni in locum ullum, ut exercerem artem coquinariam,
 ubi essent furentes et bacchantes, cuiusmodi sunt in domo huiusce Euclionis. *Bac-*
chanal appellat Euclionis domum ob turbam et trepidationem, quam ibi excitas-
 set avarus.

Meos discipulos. Discipulus dicitur quicumque disciplinam ab alio percipit.
 Hic discipuli appellantur servi, qui coquo ministrant. Nos: *garzoni di cu-*
cina. Discipuli etiam dicuntur qui in tabernis et officinis operam suam merca-
 toribus locant, et eorum disciplinam addiscunt. Itali: *fattorini*, *garzoni*
di bottega.

Male contuderunt. Multum contuderunt.

Totus doleo, atque oppido perii: ita me iste habuit senex
gymnasium. 5

Neque ligna usquam ego gentium praeberi vidi pulcrius.
Itaque omnis exēgit foras, me atque hos, onustos fustibus.
Attat, perii hercle ego miser! aperit, adest, sequitur!
Scio, quam rem geram: hoc ipse me magister docuit.

Oppido perii. Prorsus perii.

Ita me habuit senex gymnasium. Gymnasium a graece voce γυμνός, *nudus*, dictus est locus, in quo athletae et palaestritae corpus exercerent (translate schola, in qua homines ingenium exercent). Hinc manat Plautina locutio, quae idem sonat ac: Ita ego isti seni pro gymnasio fui, in quo se exerceret. Ital.: *Così io porsi a codesto vecchio il modo di esercitare la sua forza.*

Neque ligna etc. Hic ludit Plautus ex ambiguo. Quasi diceret Congrio: Paullo ante ligna usque ad ravim poscebam ad coquenda obsonia; sed advenit tandem senex, qui *pulcre*, idest largiter praebuilt ligna; non ea quidem ad obsonium coquendum, sed fustes, quibus me et discipulos meos contunderet.

Onustos fustibus. Facete appellat se et discipulos suos *onustos fustibus*; quod esset italice: *carichi di bastoni*; quasi, verbera fustibus impacta, grave onus sint humeris. Quare *onustos* posuit noster pro eo quod esset: fustibus verberatos, male habitos. Nos: *carichi di bastonate.*

Attat. Ex graeco fonte manat ἀττάται, ἀττάται; neque habenda tamquam particula *at* duplicata, quae adversativa gaudeat potestate. Est interiectio, animi affectum significans, atque usurpatur ab iis, qui se a re aliqua subito oppressos sentiant. Praesertim vero locum habet proprium in soliloquio, quum aliquis se colligit, aut de improvviso aliquid deprehendit (Cf. Cas. III. 4. 29; Poen. IV. 1. 5). Hic nimirum Congrio dum secum ipse quereretur, videt repente ianuam Euclionianae domus aperiri. Quare humeris suis iterum timens exclamat: *Attat, perii hercle!* Nos: *Ahimè son morto!*

Scio, quam rem geram. Scio, quid mihi sit faciendum.

Ipsus me magister docuit. Euclio ipse, dominus aedium, me docuit quid sit faciendum. Nos: *mi ha dato una buona lezione.* *Magister* dicitur latine quicumque aliis praeest, aut alios docet.

Ipsus. Archaismus, pro *ipse*.

ACTVS III. - SCENA VII.

EVCLIO, CONGRIO.

EVCLIO.

Redi! quo fugis nunc? tene, tene!

CONGRIO.

Quid, stolide, clamas?

EVCLIO.

Quia ad Trisviros iam ego deferam tuom nomen.

CONGRIO.

Quamobrem?

EVCLIO.

Quia cultrum habes.

CONGRIO.

Cocum decet.

EVCLIO.

Quia conminatus

Mihi.

CONGRIO.

Istum malefactum arbitror, quia non latus fodi.

EVCLIO.

Homo nullust te scelestior qui vivat hodie, 5
 Neque quoi de industria ego amplius male lubens faxim!

Quia ad Trisviros etc. Te accusabo apud Triumviros. Intellige *Triumviros capitales*, qui carceris custodiam habebant, et sontium suppliciis praeerant.

Quia cultrum habes. — Cocum decet. Vetitum erat Romanis cultrum gestare, si coquos excipias, quorum erat insigne. Hi mane in forum coquinum se conferebant cum instrumento artis suae, praesertim vero cum cultro. Haud aliter apud nos Taurinenses consueverunt albi, quisque cum penicillo suo, ad aedem Trinitatis adstare, expectantes dum ab aliquo conducantur. Hinc intelligitur, cur Congrio responderit: *Cocum decet*, atque Euclio reposuerit: *Quia conminatus es*. Nimirum non te accuso quod cum cultro sis, sed quod cultro mihi es minitatus.

CONGRIO.

Pol etsi taceas, palam id quidem est: res ipsa testis:
Ita fustibus sum miser mollior mage, quam ullus cinaedus.
Sed quid tibi nos, homo mendice, est tactio? quae res?

EVLIO.

Etiam rogas? an quia minus, quam erat aequom, feci? 10
Sine!

CONGRIO.

At hercle cum magno malo tuo, si occiput sentit.

EVLIO.

Pol ego haud scio, quid post fuat: tuo sinciput sentit.
Sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti
Me absente, nisi ego iusseram? volo scire.

Res ipsa testis, etc. Factum ipsum, verbera, quibus me contudisti, testantur uod ais.

Mollior quam cinaedus. Hic cinaedus est quod Italis *un ballerino*, a κινέω, *moveo* (corpus). Quemadmodum vero flexibiles omnino artus habent cinaedi, ut facillime in quamlibet partem moveantur; ita Congrio se cinaedo molliorem dicit, quod artus et renes praesertim haberet verberibus ita contusos, ut vix se se pedibus regeret, atque in omnem partem inclinaret. Diceret italice: *più durenato di un ballerino*.

Quid tibi nos est tactio? Dictio singularis, pro vulgari: Cur nos tangis? Verbalibus in *io* casum verbi saepe dat Plautus. Cf. *Asin.* V. 2. 70.

Mendice. Interdum sumitur in malam partem. Ital.: *birbante*.

Sine! Euclio fustem prae manibus tenens, iterum Congrioni minitatur.

Magno malo tuo. Nos: *Con grande tuo danno*.

Si occiput sentit. Supp. meum. Occiput et sinciput saepe usurpantur pro cerebro. Ital.: *Se non ho perduto il cervello*.

Pol ego haud scio, etc. Prima fronte subobscurus est hic versus. Iocatur Euclio aliter interpretando Congrionis verba. Interpretatur autem ea proprie, non metaphorice. Nempe ait: Ego certe nescio *quid post fuat*, hoc est quid sit in posteriore parte capitis tui. Scio hercle anteriorem capitis tui partem sentire. Namque Euclio fuste os Congrionis verberaverat. Italice: *Certo che io non so quello che tu abbia nella nuca. So bene, che la parte anteriore del tuo capo sente*.

Quid tibi erat negoti? Quid tibi erat faciendum?

CONGRIO.

Tace ergo:

Quia venimus coctum ad nuptias.

EVCLIO.

Quid tu, malum, curas, 15
Utrumne ego crudum an coctum edim, nisi tu mi es tutor?

CONGRIO.

Volo scire, sinas, an non sinas, nos coquere hic coenam?

EVCLIO.

Volo scire item ego, mean' domi mea salva futura?

CONGRIO.

Utinam mea, quae attuli, modo auferam mihi salva!
Mei haud poenitet: tuane expetam?

EVCLIO.

Scio: ne doce, novi. 20

CONGRIO.

Quid est, qua nunc prohibes gratia nos coquere hic coenam?
Quid fecimus, quid tibi diximus, secus quam velles?

EVCLIO.

Etiam rogas, scelesti homo? quia anglos omnis
Mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis.

Tace ergo. In colloquio particula *ergo*, cum imperativo coniuncta, impatentiam quandam et indignationem loquentis significat. Nos: *Taci una volta.* Cf. Epid. II. 2. 57; Men. v. 7. 27.

Venimus coctum ad nuptias. Ital.: *Siamo venuti a cucinare per le nozze.*

Quid tu, malum, curas, etc. Particula *malum* interseritur modo interiectionis, et indignationem significat. Nos: *Che diavolo hai tu da impacciarti?*

Edim. Archaismus. Edam.

Mei haud poenitet. Meis bonis contentus vivo. Ital.: *A me bastano le cose mie.*

Scio, ne doce, novi. Quasi diceret: Satis abunde novi rapax coquorum ingenium.

Secus quam velles. Contra il tuo volere.

Conclavium. Conclave est pars aedium, quae clavi claudi potest. Ital.: *camera* vel etiam *appartamento*.

Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,
 Non fissiled haberes caput. Merito id tibi factum est.
 Adeo ut tu meam sententiam iam noscere possis:
 Si ad ianuam huc accesseris, nisi iusso, propius,
 Ego faciam te, miserrumus mortalis uti sis.
 Scis iam meam sententiam?

CONGRIO.

Quo abis? redi rursum! 30

Ita me bene amet Laverna, te iam, nisi si reddi
 Mihi vasa iubeas, piplo differam hic ante aedis!
 Quid ego nunc agam? Nae ego edepol veni huc auspicio malo;
 Numo sum conductus; plus iam medico mercede est opus.

EVCLIO.

Hoc quidem hercle, quodquod ibo, mecum erit, mecum
 feram, 35

Perviam facitis. - *Perviam*, adverb. *Perviam facitis*, hoc est *facilis uti adiri possint*.

Si adesses. Si tu adfuisses ad focum, ubi tuum erat negotium; ubi ex officio adesse debuisses.

Non fissile. Non fissum. Nos: *Non avresti il capo rotto*.

Merito id tibi factum. Itali: *Ben ti sta*.

Iusso. Iussero.

Scis iam meam sententiam? Italice: *Or sai tu come io la pensi?*

Redi rursum. Pleonasmus.

Ita me bene amet Laverna. Ita me bene adiuvet Laverna. Ital.: *Se Laverna mi aiuti*. Coquorum et furum iurandi formula. Iam vidimus, coquos a Plauto passim exhiberi tamquam fures. Ob eandem causam hic inducit Congriorem iurantem per deam Lavernam, in cuius tutela erant fures. Hanc Deam colebant fures apud Romanos, ut consilia sua furandi fortunaret. Horat. Ep. I. 16. 60: *Labra movet, metuens audiri: Pulcra Laverna, Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri; Noctem peccatis, et fraudibus obice nubem*.

Vasa. Instrumenta. Ital. *i miei arnesi*.

Piplo differam. Pipulo differre aliquem significat, magna et elata voce alicui in publico convicium facere. Nos: *Svillaneggiare uno pubblicamente*. *Pipulus* a pipatu gallinarum dictus est.

Numo sum conductus. Numus hic pro sestertio usurpatur, interdum etiam pro numo aureo. Ital.: *Mi fu promessa la mercede di un sesterzio*.

Hoc quidem hercle. Hic ad hilaritatem ciendam, poëta Euclionem spectatorum

Neque istuc in tantis periculis unquam committam ut siet.)
 Ite sane nunc iam intro omnes, et coci, et tibicinae.
 Etiam tu introduce, si vis, vel gregem venalium.
 Coquite, facite, festinate nunc iam, quantum lubet.

CONGRIO.

Tempori: postquam implevisti fusti fissorum caput. 40

EVCLIO.

Intro abi: opera huc est conducta vostra, non oratio.

CONGRIO.

Heus, senex, pro vapulando hercle abs te ego mercedem
 petam:

Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.

EVCLIO.

Lege agito mecum, molestus ne sis: aut coenam coque,
 Aut abi in malum cruciatum ab aedibus.

CONGRIO.

Abi tu modo. 45

EVCLIO.

Ille hinc abiit. Dî immortales, facinus audax incipit,

oculis proponit, qui ollam, in qua erat thesaurus, sub veste latentem habet, certus eam gestandi quocumque iret, quique dextera manu ollam tangendo, ait: Hoc quidem hercle, etc.

Gregem venalium. Venales, si nihil addatur, Romanis sunt servi, qui ad vendendum exponuntur. Horum plerique sunt fures. Sed quum ollam domo extulisset, iam non timet Euclio; quare ait: Introduc etiam turbam venalium.

Tempori: postquam etc. Congrio Euclionis domum iterum ingrediens queritur de verberibus; ait autem: Tempore me in domum tuam revocas, postquam caput implevisti fissorum. *Fissum* a findendo dictum, hic ponitur pro vulnere.

Opera conducta, non oratio. Nos: *Siete pagati per lavorare, non per ciarlare.*

Lege agito mecum. Solemnis haec fuit Romanis formula, qua utebantur quum alicuius petitionem contemnerent. Quasi dicerent: Si quid credis a me tibi deberi, mihi diem dicito, neque molestus mihi sis. Nos: *Fammi citare in giudizio, e non seccarmi più.*

Facinus audax incipit. Itali: *Si mette ad un' impresa arrischiata.*

Qui cum opulento pauper coepit rem habere aut negotium !
 Veluti me Megadorus tentat omnibus miserum modis,
 Qui simulavit, meis se honoris mittere hoc causa cocos ;
 Is ea causa misit, hoc qui surperent misero mihi. 50
 Condigne etiam meus med intus gallus gallinaceus,
 Qui erat anui peculiaris, perdidit penissime :
 Ubi erat haec defossa, occepit sculpturare ibi ungulis

Veluti me Megadorus etc. Usurpatur *veluti* pro eo quod esset Italis: *Come per esempio.*

Tentat. Aggreditur.

Mei honoris causa. Ut me honore efficeret.

Hoc qui surperent. Qui surriperent mihi thesaurum. Saepe, dum Plautinas fabulas legimus, praeter verba, oportet etiam nobis ob oculos ponere gestum, quo actores verba ipsa solent prosequi in scena. Quod nisi faciamus, interdum nobis vis comica scriptoris minus apparet. Veluti in hoc loco: *Is ea causa misit, hoc qui surperent.* Dum haec profert actor, manu ollam tangit, quam latentem gestat sub veste; atque ita solvuntur in risum spectatores. Ne quis autem sit, qui Plautum criminetur, quod Euclionem inducat vel de Megadoro suspicantem, quasi coquos misisset, qui thesaurum surriperent. Hanc sane suspicionem nemo ineptam dixerit, si modo cogitet anxiam et suspiciosam avarorum naturam, qui de omnibus timere consueverunt. Quin imo laudandus noster, quod tam graphice avaritiae vitium spectatoribus depingit, ut si quis forte avarus sit in theatro, sui ipsum pudeat, atque ad meliorem frugem studeat se se recipere.

Condigne etiam meus etc. Nihil omnino praetermittit poeta quo expressius avari naturam effingat. Itaque ait, Euclionem domum ingressum, ut inde coquos exigeret, vidisse gallum gallinaceum forte sculptur entem in loco, ubi olla erat defossa. Quo viso, avarus ira exardescens, in gallum, tamquam in praedonem invehitur et capto fuste illum subito obtruncat. Quisque videt, quam festive hoc a Plauto sit excogitatum, quod dum insolita hilaritate spectatores perfundit, eo praesertim spectat, ut ridiculo vitium castiget, et germanum comoediae finem consequatur. Hoc enim narrato, confirmat, homines avaritia laborantes, veluti amentes fieri.

Condigne. Ut ipsum decet. Ital.: *Da par suo.*

Gallus gallinaceus. Est quem vulgo gallo appellamus.

Anui peculiaris. In hoc loco *peculiaris* usurpatur in propria significatione. Peculiaris enim res dicitur, quae pertinet ad peculium alicuius. *Anui peculiaris, Di spettanza della vecchia Stasila.*

Perdidit penissime. Pene nihil abfuit, quin me perderet. Nos: *Per poco mi rovinò affatto.*

Circumcirca. Quid opust verbis? ita mihi pectus peracuit:
 Capiō fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium. 55
 Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos cocos,
 Si id palam fecisset: exemi e manu manubrium.
 Quid opust verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo.
 Sed Megadorus, meus adfinis, eccum incedit a foro.
 Iam hunc non ausim praeterire, quin consistam et conlo-
 quar. 60

ACTVS III. - SCENA VIII.

MEGADORVS, EVCLIO.

MEGADORVS.

Narravi amicis multis consilium meum
 De conditione hac: Euclionis filiae.
 Laudant; sapienter factum et consilio bono.

Pectus peracuit. Bilis exarsit.

Manifestarium. Manifestum.

Exemi e manu manubrium. Proverbialis dictio ex eo ducta, cui gladium pra manu tenenti, iamque transfixuro, repente gladii manubrium e manibus excutitur. Huc igitur recidunt Plauti verba: Quum fures iam in eo essent, ut thesaurum invenient, occas onem illius potiundi eis praeripui.

Facta est pugna etc. Pugnavi adversus gallum gallinaceum.

Meus adfinis. Affines ii dicuntur, qui sanguinis vinculo sunt coniuncti, hoc est viri et uxoris cognati inter se. Hinc socer et gener, Euclio videlicet et Megadorus sunt affines.

Eccum. Ecce eum.

Ausim. Auderem.

De conditione. Usurpatur *conditio* in sponsalibus pro pactione de coniugio, vel pro eo quod est Italis: *partito da maritarsi*. Quae quidem vox in nuptiis adeo facta solemnis, ut *conventa conditio* diceretur quum primum sermo de nuptiis haberetur, et hac etiam voce uterentur in repudio, quum videlicet sponsalia dissolverentur. Haec enim erat formula: *Condizione tua non utor*, hoc est te uxorem iam non ducam. Quare *de conditione hac Euclionis filiae* interpretaberis italice: *di questi miei sponsali colla figlia di Euclione*.

Sapienter factum. Supp. aiunt.

Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri
 Opulentiores, pauperiorum filias 5
 Ut indotatas ducant uxores domum :
 Et multo fiat civitas concordior,
 Et invidia nos minore utamur, quam utimur ;
 Et illae malam rem metuant, quam metuont, magis ;
 Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
 In maxumam illuc populi partem est optimum ;
 In pauciores avidos altercatio est.
 Quorum animis avidis atque insatietatibus
 Neque lex neque tutor capere est qui possit modum.
 Namque hoc qui dicat : Quo illae nubent divites 15
 Dotatae, si istud ius pauperibus ponitur ?
 Quo lubeat, nubant, dum ne dos fiat comes.
 Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
 Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
 Ego faxim muli, precio qui superant equos, 20

Opulentiores, pauperiorum. Eleganter interdum a Latinis ponitur gradus comparativus pro positivo.

Illae malam rem metuant. Hac dictione *malam rem* significantur a poëta omnes malae artes, ad quas mulieres se applicare consueverunt. Pronomen vero *illae* non ad pauperes tantum refertur, sed ad omnes generatim feminas; quae si indotatae nuberent, viris semper obsequerentur, et minorem sumtum iis afferrent. Quare *malam rem metuant magis* erit italice: *Si asterrebbero più facilmente dai vizi, dal mal costume, dalle male arti, ecc.*

In maxumam illuc etc. A maxima populi parte hoc probatur. Pleraque populi pars huic meae sententiae assentitur.

In pauciores avidos. Restant pauci locupletes, quibus hoc non probatur, et quibuscum mihi altercatio futura est.

Insatietatibus. Mos Plauto perfamiliares, ut saepe utatur numero multitudinis pro numero singulari. Nos: *insaziabilità*.

Capere modum. Constituire, ponere modum.

Namque hoc qui dicat. Supp. respondebo.

Quo lubeat. Vel pro dativo *quod*, extrita littera *i*: *nubant cui libebit*; vel *quo* pro eo quod est: *in quam domum libebit*.

Ego faxim muli etc. Quo plenius Plautinam sententiam assequaris, monendus

Sint viliores gallicis cantheriis.

EVCLIO.

Ita me dī amabunt, ut ego hunc ausculto lubens:

Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.

MEGADORVS.

Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli

Maiorem multo, tibi quam erat pecunia: 25

Enim mihi quidem aequom est purpuram atque aurum dari,

Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,

Salutigerulos pueros, vehicla qui vehar.

Evclio's Dialogue

es, lector, hunc fuisse apud matronas romanas morem, ut mulis potius uterentur ad trahendas rhedas, quam equis, ac propterea magno pretio muli venderentur. Quod testatur, Martialis, Epigr. III. 62: Aurea quod fundi pretio carruca paratur; Quod pluris mala est quam domus emta tibi. Quare Megadorus: Si ceteri, ait, viri opulentiores exemplum meum imitarentur, ut uxores indotatas ducerent, multum imminueretur matronarum luxus, ideoque muli fierent viliores quam equi castrati, qui ex Gallia ad nos advehuntur. Quibus dictis sibi viam aperit ad disserendum de luxuria et vitiis feminarum.

Cantheriis. Cantherius est equus castratus.

Ita me dī amabunt. Haec secum ipse Evclio. Iurandi est formula. Nos: *Così m'aiuti il cielo.*

Auscul.to lubens. Siquidem verba faciebat Megadorus de sumtibus minuendis.

Lepide. Vox comicis poëtis frequentata, quum velint significare, quidpiam a te, venuste et commode fieri. Itali: *assai bene.*

Ad parcimoniam. Dictio elliptica. Quod attinet ad parcimoniam.

Enim. Saepe idem significat quod particula *igitur*, atque usurpatur etiam in principio sententiae. *Enim mihi aequom est etc.* Itali: *È quindi ben giusto, che ecc.*

Purpuram atque aurum. Soli magistratus atque imperatores olim purpura ut bantur. Lapsu vero temporis ad matronas transiit atque ad homines lautiores. Ceterum animadvertendum est, purpuram apud veteres, rem adeo caram fuisse, ut ad significandas res pretiosiores una cum auro in sermone iungi soleret. *Purpuram atque aurum mihi dari*, hoc est pretiosissima quaeque mihi dari.

Pedisequos. Servi qui dominam extra aedes comitantur. Nos: *gli staffieri.*

Salutigerulos. Intellige servos, qui herae nomine huic vel illi salutem et iussa perferrent. Ital.: *valletti, paggi.* Puer vero passim a Latinis de servo, cuiuscunque aetatis ille demum sit.

Vehicla qui vehar. Pronomen *qui* est ablativus omnis generis, et usurpatur etiam praecedente numero plurali. Idiotismus est linguae latinae. Ita apud Grae-

EVCLIO.

Ut matronarum hic facta pernovit probe!

Moribus praefectum mulierum hunc factum velim! 30

MEGADORVS.

Nunc, quoquo venias, plus plaustorum in aedibus

Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.

Sed hoc etiam pulcrum est, prae quam ubi sumtus petunt:

Stat fullo, phrygiot, aurifex, lanarius,

Caupones patagiarii, indusiarii, 38

cos nomina generis neutrius, licet numeri multitudinis, interdum coniunguntur cum verbis numeri singularis: τὰ ζῶα τρέχει pro eo quod esset: τὰ ζῶα τρέχουσι.

Moribus praefectum mulierum. Quum noster Aululariam scribens respiceret ad graecum exemplar, sequitur in hoc loco Graecorum consuetudinem, apud quos magistratus creabatur γυναικονόμος qui ornatui mulierum praeesset, hoc est mulierum luxum moderaretur. Apud Romanos huiusmodi officium spectabat ad censorem. *Praefectum moribus.* Haud absurdum erit fortasse subaudire *vestis*. Hinc quod vulgo dicunt: *costume, moda*, latine erit: mos vestis. *Il costume italiano*: mos vestis italicae. *Moribus praefectum mulierum hunc factum velim.* Nos: *Vorrei che costui fosse creato presidente delle mode delle donne.*

Plaustorum. Plaustri nomine vehiculum, quo maxima onera vehuntur. Hic per hyperbolem ait Plautus, plus plaustorum videri in urbe, quibus res vehuntur ad mulierum ornatum, quam ruri.

Prae quam etc. Prae eo quod sit, quum sumtus petunt. Ital.: *In paragone di quanto avviene, quando chieggono danaro per le spese.*

Stat fullo. Festive admodum recenset hic noster diversi generis mercatores, quibus paratur mundus muliebris; graece: γυναικείος κόσμος, gallice: *la toilette des dames*. *Fullo*, qui vestes purgat; *il lavapanni*. *Stat*, se sistit: *si presenta*.

Phrygio. Qui vestes acu pingit, vel auro intexit. Ital.: *il ricamatore*. Sic dictus a Phrygibus, qui hanc artem vestes acu pingendi excogitasse dicuntur. Hinc opus phrygium, *il ricamo*; vestis opere phrygio exornata, *veste ricamata*.

Lanarius. Qui vestes laneas facit et vendit.

Caupones. Heic caupo non est vini atque esculenterum venditor (*l'oste*), sed quilibet mercator.

Flammearii, violarii, coriarii,
 Aut manulearii, aut murobrecharii,
 Propolae linteones, calceolarii,
 Sedentarii sutores, diabathrarii,
 Solearii adstant, adstant molochinarii;
 Petunt ciniflones, sarcinatores petunt;

40

Patagiarii. Italice: *mercanti di collaretti*. Patagium dicitur quod, ornatus causa, muliebri vesti circa collum additur.

Indusiarii. Nos: *mercanti di sottane*. Indusium est vestis interior et corpori adhaerens.

Flammearii. Qui flammea (*veli di color giallo*), conficiunt et vendunt, vel qui vestes tingunt flammeo colore.

Violarii. Qui vestes violaceo colore inficiunt. Ital.: *tintori di pavonazzo*.

Coriarii. Qui coria concinnant. Alii legunt *carinarii*, qui cerino colore vestes inficiunt.

Manulearii. Qui tunicas manuleatas conficiunt. Ital.: *fabbricanti di manichini*, vel *di maniche*.

Murobrecharii. Qui muliebria calceamenta unguentis et suffimentis imbuebant. Nos: *profumieri*. Sic dicti a *μύρον*, unguentum, et *βρέχω*, ungo.

Propolae. Quis res minore pretio emtas, maiore vendunt. Ital.: *rivenditore, rigattiere*, a *πράω*, vendo.

Linteones. Qui lintea texunt: *tessitori di tela*. *Lintearii*, qui lintea vendunt.

Calceolarii. Qui calceos conficiunt: *calzolai*.

Sutores. Qui calceos suunt: *ciabattini*, sedentarii dicti, quod sedentes operi incumbunt.

Diabathrarii. Qui diabathra conficiunt et vendunt. Diabathrum graece *διὰβαθρον*, fuit genus soleae graecanicae, quae propria erat feminarum. Italis: *ciabatta*.

Solearii. Qui soleas conficiunt: *fabbricanti di pianelle*. De discrimine, quod intercedit inter *calceum*, *soleam*, *diabathrum*, *sandalium* etc., vide AUSONII POPMAE opus *de differentiis verborum* (edit. Augustae Taurinorum, ex offic. Arceterii Salesiani 1865) ad voc. *calceus*.

Molochinarii. Qui vestes inficiunt molechino colore. Ital.: *colore di fior di malva*: a graeca voce *μολόχη*, *malva*.

Adstant. Ital.: *si presentano, vengono*.

Ciniflones. Sunt qui matronarum capillos ornant, sic dicti quod flarent in cinerem ad calamistros cal faciendos, quibus crispantur capilli. Ital.: *acconciatori*. Nos vernacule: *i frisotin*.

Sarcinatores. A sarciendo dicti: *i sartori*.

Petunt. Supp. pecuniam. *Domandano di essere pagati*.

Strophii stant, stant semizonarii.

Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt

Treceni, constant, *stant* phylacistae in atriis,

Textores, limbularii, arcularii.

Ducuntur; datur aes. Iam absolutos censeas,

45

Quom incedit infector crocotularius,

Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.

EVCLIO.

Conpellem ego illum, ni metuam, ne desinat

Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.

50

Strophii. Qui strophant conficiunt: *fabbricanti di fascie*. Fuit strophium fascia, qua mulieres tumorem papillarum coërcebant.

Semizonarii. Qui zonas minus latas conficiunt: *fabbricanti di cinture*.

Iam hosce absolutos censeas. Iam credis hosce esse dimissos. Ital.: *congedati, pagati*.

Cedunt, petunt treceni. Alii trecenti accedunt et petunt.

Stant phylacistae in atriis. Supp. stant tamquam phylacistae in atriis. Phylacista a graeco verbo φυλάττω, *custodio*, est custos carceris. Hic vero phylacistarum nomine intelligendi sunt creditores importuni, qui debitores suos obsident, custodiunt. Nos: *si fermano quai custodi nell'atrio*.

Limbularii. Qui limbo oram vestis praetexunt. Nos: *Quelli che adornano di fascie il lembo delle vesti*.

Arcularii. Qui arculas (*cassette*) conficiunt, in quibus mulieres res suas ad ornatum reponere solent.

Ducuntur. Inducuntur in aedes.

Incedit. Accedit. Ital.: *si avanza*.

Infector crocotularius. Qui croceo colore inficit crocotas, hoc est tunicas muliebres.

Aliqua mala crux. Molestus, importunus homo. Nos: *qualche diavolo d'importuno che sempre domanda qualche cosa*. = Longior haec enumeratio, qua Plautus ea memorat, quae ad ornatum muliebrem pertinent, maximis est laudibus efferenda, propterea quod dum matronarum ingenium et mores verissime describit, garrulum et morosum etiam senem nobis ob oculos ponit, qui quum caelebs diu vixisset, indignanter, uti sit, atque hyperbolice molestias recenset, quibus viri uxorum causa interdum torqueri consueverunt. Quum autem videamus, haec omnia, paucis leviter immutatis, posse temporibus nostris commode aptari (cf. BALZAC, *Petites misères de la vie conjugale*); hinc facile conficitur, Plautum naturam omnino fuisse imitatum; qua in re praecipua comici scriptoris virtus posita est.

Ubi nugigerulis res soluta est omnibus,
 Pro illis crocotis, strophis, sumtu uxorio,
 Ibi ad postremum cedit miles, aes petit.
 Itur, putatur ratio cum argentario;
 Impransus miles adstat, aes censet dari. 55
 Ubi disputata est ratio cum argentario:
 Etiam ipse ultro debet argentario:
 Spes prorogatur militi in alium diem.
 Hae sunt atque aliae multae in magnis dotibus
 Incommoditates sumtusque intolerabiles: 60

Ubi nugigerulis. Pergit Megadorus de feminarum moribus philosophari. Postquam vero in brevi quasi tabella nobis depinxit nugigerulos et mundi mulieris instructores, alios intrantes, alios exeuntes, omnes vero pecuniam petentes, ad postremum, comico sane artificio, sumtuosae huius matronae maritum nobis exhibet, qui ob sumtus uxorios in difficultate nummaria versatur, et impar est pendendis reipublicae tributis. Quare militi, a tribuno aerarii misso ad petendum aes militare, per summam turpitudinem diem cogitur prorogare. — *Nugigeruli*, vel nugivendi vocantur a Plauto, qui matronis ea vendere consueverunt, quibus illae utuntur ad corpus exornandum, quaeque a Romanis proprio nomine *leria* vel *nugae*, a Gallis *petites jolivetés*, ab Italis: *galanterie* appellantur. Itaque *nugigeruli* commode interpretaberis: *mercanti di galanterie, di mode, ecc.*

Res soluta est. Pecunia soluta est nugigerulis pro illis crocotis, etc.

Ibi, vel *illic* saepe tempus significat, et idem valet ac *tunc*.

Cedit miles. Intellige militem a tribuno aerarii missum. Antiquitus Romani aere proprio militarunt. Sed postea, prolatis imperii finibus, quum milites longe a patria essent ducendi, et bella diutius durarent, coepta sunt stipendia solvi militibus. Tribuni vero aerarii dicebantur qui acceptam pecuniam in stipendium exercitus, ad quaestores provinciarum deferrebant, militibus erogandam.

Putatur ratio. Nos: *si fa il conto*.

Cum argentario. Argentarius vel trapezita dicebatur a Romanis, apud quem pecunia ponitur vel custodiae vel foenoris causa. Nos: *il banchiere*.

Impransus miles; etc. Dum uxorius hic maritus, pecunia vacuus, rationes putat cum argentario, miles impransus exspectat.

Ubi disputata ratio est. Ital.: *liquidati i conti*.

Ipsus ultro. In hoc loco particula *ultro* ponitur pro *imo e contrario*. Nos: *Esso al contrario vien chiarito debitore del banchiere*.

Nam quae indotata est, ea in potestate est viri;
Dotatae mactant et malo et damno viros.
Sed eccum adlinem ante aedis! Quid agis, Evclio?

EVCLIO.

Nimum lubenter edi sermonem tuum.

MEGADORVS

Ain'? audivistin'?

EVCLIO.

Usque a principio omnia.

65

MEGADORVS.

Tamen, meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiae in nuptiis.

EVCLIO.

Pro re nitorem, et gloriam pro copia;
Qui habent, meminerint sese, unde oriundi sient;
Neque pol, Megadore, mihi, nec quoiquam pauperi, 70
Opinione melius res structa est domi.

Ea in potestate est viri. Obedit, obsequitur viro.

Mactant malo et damno. Afficiunt malo et damno. *Malo*, quia ipsos in servitutem redigunt; *damno* quia sunt sumptuosae.

Quid agis? Romanorum dicendi formula, quum sermonem exordiri vellent cum aliquo. Nos: *come va?*

Edi sermonem. Attente et avide audiui sermonem tuum.

Ain'? aud vis in'? Ital.: *Di' tu di aver senti o?*

Meo quidem animo. Mea sententia

Si nitidior sis. Megadurus animadvertens Euclionem socerum. pannosum, hoc est sordida et fortasse lacera veste amictum uti esse conueverunt avari: tamen, ait, rectius faceres, si cultior, ornatior esses in filiae nuptiis. *Più pulito, più elegante.*

Pro re nitorem, et gloriam pro copia. Oportet habere ornatum pro magnitudine divitiarum, et gloriam pro copia rerum. Italice: *E vanto secondo, le facollà.*

Qui habent. Supp. rem. Ital.: *Chi è ricco.*

Meminerunt sese. Meminerint.

Res est structa domi melius opinione. Non habeo domi maiores divitias quam vulgus opinatur. *Struere rem.* augere rem, ital.: *accumular ricchezze.* Quibus verbis studet avarus Megadurus avertere a suspicionethesauri.

MEGADORVS.

Imo est.

EVCLIO.

Est?

MEGADORVS.

*Est, et divi faciant, ut siet,
Plus plusque istucce sospitent, quod nunc habes!*

EVCLIO.

Illuc mihi verbum non placet: Quod nunc habes. —
Tam hic scit, me habere, quam egomet: anus fecit palam. 75

MEGADORVS.

Quid tu te solus e senatu sevocas?

EVCLIO.

Pol ego, ut te adcusem, merito meditabar.

MEGADORVS.

Quid est?

EVCLIO.

Quid sit, me rogitas, qui mihi omnis angulos
Furum implevisti in aedibus miserrumo?

MEGADORVS.

Quî?

EVCLIO.

Intromisisti in aedis quingentos cocos
Cum senis manibus, genere Geryonaceo,

80

Imo est. Supp. res. Sunt tibi divitiae maiores omnium opinione.

Plus plusque. Magis magisque. Huiusmodi geminationes rem augent. Itali:
più e più.

Illuc mihi verbum non placet, etc. Haec secum ait Euclio suspicatus, Megadorum quidpiam persensisse de thesauro.

Quid te solus e senatu sevocas? Proverbialis locutio, quae usurpatur pro eo quod esset: Cur solus te segregas e coetu? Nos: *Perchè ti allontani dalla mia compagnia? Perchè stai parlando da te solo?*

Quingentos cocos. Innumeros coquos.

Genere Geryonaceo. Geryon, Hispaniae rex, dictus fuit a poetis tricornis. Quare habuit tria capita, sex manus, totidemque pedes.

Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
 Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
 Is nunquam servet: praeterea tibicinam,
 Quae mi interbibere sola, si vino scatet,
 Corinthiensem fontem Pirenen potest.
 Tum obsonium autem

85

MEGADORVS.

Pol vel legioni sat est.

Etiam agnum misi.

EVCLIO.

Quo quidem agno sat scio
 Mage curionem nusquam esse ullam beluam.

MEGADORVS.

Volo ex te scire, qui sit agnus curio.

90

EVCLIO.

Quia ossa ac pellis totust: ita oura macet:

Si Argus servet. Fuit Argus Aristoris filius, quem Graeci πανόπτην dixerunt, propterea quod totus oculis constaret. Hunc fabulantur poëtae a Iunone constitutum fuisse custodem Ius, Inachi filiae, in bovis speciem conversae. Rem fusius narrat Cvid us. Metam. I. 624.

Totus oculeus. Totus oculis constans. Nos: *tutt' occhio*.

Ioni. Casus dativus nominis *Io*.

Nunquam servet. Nullomodo servabit.

Praeter tibicinam. Qualibet aetate tibicines tamquam bibaces habiti sunt.

Si vino scatet. Si vino flueret. Itali: *se scorresse vino*.

Pirenen. Pirene fons fuit, qui effluebat ex Acrocorintho, hoc est ex monte et arce, quae Corintho urbi imminet.

Tum obsonium Pol vel legioni etc. Dum Euclio vellet queri de parva obsonii quantitate a Megadoro missa, ipsius verba abrumpit Megadorus, testatus, obsonium illud posse sufficere etiam legioni. Nos: *potrebbe bastare anche ad un reggimento*.

Beluam mage curionem. Belluam magis macilentam. Apud Romanos *curiosus* erat dicterium vulgi in hominem macilentum, quasi curis semet conficere. Plautus ad caveam exhilarandam, vocabulum novavit, et pro *curioso curionem* dixit. Quare vocis novitatem miratus Megadorus, quaerit qui sit agnus *curio*.

Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet, quasi laterna punica.

MEGADORVS.

Caedendum illum ego conduxī.

EVCLIO.

Tum tu idem (optimum est)
Loca efferendum: nam iam, credo, mortuost. 95

MEGADORVS.

Potare ego hoc die, Euclio, tecum volo.

EVCLIO.

Non potem ego quidem hoc die.

MEGADORVS.

At ego iussero,
Cadum unum vini veteris a me adferrier.

EVCLIO.

Nolo hercle: nam mihi bibere decretum est aquam.

MEGADORVS.

Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe, 100

Quin exta inspicere. Adeo est macilentus, ut si soli ardenti opponatur, liceat inspicere eius viscera.

Laterna punica. Laterna a latendo dicta, quod ignis in ea lateat. Laternas vere punicas memorat noster, quod essent ceteris magis pellucidae.

Caedendum conduxī. Emī aptum caedendo. *Conducere* interdum idem sonat atque *emere*. Itali: *Io l'ho comperato, che fosse buono ad ammazzare.*

Loca efferendum. Efferre idem est ac sepelire, hoc est efferre extra domum. Hic vero Euclio ludit in verbis. Quum Megadorus dixisset: *conduxī caedendum*, Euclio respondet: *loca efferendum*. Namque *conducere* et *locare* sibi respondent. *Conducere* dicitur qui aliquid accipit faciendum; *locare* qui aliquid dat utendum. *Loca efferendum: puoi darlo a seppellire.*

Potare. Largius bibere.

Non potem. Eleganter pro futuro *potabo*.

A me adferrier. A domo mea afferri.

Reddam madidum probe. Itali: *Ti voglio ubbriacar ben bene.*

Si vivo. Solemnis formula apud Romanos, praesertim quum cuipiam minarentur. Italice: *se Dio mi dà vita.*

Tibi quoi decretum est bibere aquam!

EVCLIO.

Scio quam rem agat;

Ut me deponat vino, eam adfectat viam:

Post hoc, quod habeo, ut conmutet coloniam.

Ego id cavebo: nam alicubi abstrudam foras.

Ego faxo et operam et vinum perdiderit simul. 105

MEGADORVS.

Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem. —

EVCLIO.

Edepol nae tu, aula, multos inimicos habes,

Atque istuc aurum, quod tibi concreditum est!

Nunc hoc mihi factu est optimum, ut ted auferam,

Aula, in Fideii fanum: ibi abstrudam probe. 110

Fides, novisti me et ego te: cave sis tibi,

Ne tu immutassis nomen, si hoc concreduo!

Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

Tibi quoi, etc. Supp. dico tibi, cui decretum est. Ceterum ordo naturalis latinae syntaxis postularet: *Te, cui decretum est etc.*

Ut me deponat vino. Ut ebrietate me reddat similem deposito, hoc est *mortuo*. *Per ubbriacarmi in guisa, che io sia come morto.*

Eam adfectat viam. Eam viam aggreditur; illud consilii capit.

Post hoc, quod habeo, etc. Meminerit lector, Euclionem gestare latentem sub veste ollam, et statim intelliget, pronomen *hoc* referri ad aurum olla inclusum, quam illo temporis puncto, exquisita quadam voluptate contrectat avarus.

Conmutet coloniam. Commutet sedem transeat ab aedibus mcis ad aedes Megadori.

Eo lavatum, ut sacrificem. Corpus abluebant veteres, antequam sacrificarent. Megadorus autem sacrificabat ob nuptias.

Edepol nae. Euclio solus in scena sermonem convertit ad ollam, et secum ipse statuit thesaurum suum in templo Fidei deponere, quo tutior ibi sit. Fuit autem hic mos apud veteres, ut pecuniam in sacris aedibus deponerept. Et romanum quidem aerarium erat in templo Saturni.

Sis. Particula redundans.

Ne tu immutassis nomen. Cave, ne tu, o Fides, sis in me infidelis; ita ut potiusquam *fidem*, te *perfidiam* appellem; quod sane fieret, si tu thesaurum mihi surripi patereris. Hic iuvat rursus notare, quemadmodum Plautus tam apte episodica fabulae inserat, ut mirum in modum coniurent ad praecipuum finem, quem sibi proposuit. Siquidem coquorum episodium, quo latus constat te tuis hic comoediae actus, plurimas poetae opportunitates obtulit, quibus avari naturam magis magisque effinge et.

Fides, fiducia. Frequens apud Plautum occurrit haec vocum similitudo, ex

ACTVS IV.

SCENA I.

STROBILVS.

Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego persequor,
 Nec morae molestiaeque imperium herile habeat sibi
 Nam qui hero ex sententia servire servos postulat,
 In herum matura, in se sera, cōdecet capessere. 250.
 Sin dormitet, ita dormitet, servum sese ut cogilet. 5

qua acuti et urbani sales iterdum existunt. Sic II. 2. 4: Nunc domum *properare propero*; IV. 2. 10: *Fides*, cave tu illi *fidelis*; et paullo post: *Fides* mulsi congialem *fideliam*. f. Mil. I. 4; ib. 68; ib. II. 2. 28, aliaque passim.

Hoc est etc. Quum Euclio, aulae suae timens, statuisset illam in templo Fidei abstrudere, Strobilus servus a Lyconide adolescente missus, ut specularetur quid de Euclionis filia fieret, forte audit de thesauro ibi abscondito; qui thesaurus post varios tandem casus in Phaedrae dotem cedit, Lyconidi nupturae. Hic vero animadvertendum, Strobilum hunc servum esse geminum, hoc est. non esse eum servum, qui Megadoro serviret, quique coquos in domum Euclionis induxerat. sed alium servum cognominem, qui operam suam praestaret Lyconidi.

Persequor. Exsequor.

Servi frugi. Frugi dicitur servus, qui domino utilis sit, eiusque rem diligenter curet. Nos: *un bravo servo*.

Nec morae molestiaeque. Neque moretur et molestum ei sit hero obedire.

Imperium herile. Il comando del padrone. Interdum a Latinis herile imperium usurpatur pro *dominatu*. Ital.: *tirannia*.

Ex sententia. Sincere, fideliter: *di buon cuore*.

Postula. Vult.

In herum matura, etc. Decet servum perficere mature (*a tempo*) ea, quae ad herum pertinent; sero quae ad se.

Sin dormitet, etc. Sensus est: Si erit aliquando negligentior, ita sit, ut meminert, maiore diligentia esse facienda. quae neglecta sunt.

Nam qui amanti servitutem servit, quasi ego servio,
 Si videt superare amorem, hoc servi esse officium reor:
 Retinere ad salutem; non quo incumbat, illo impellere.
 Pueris quasi, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
 Toleret, ne pessum abeant, et uti facilius moveant manu: 40
 Modo eodem servom ratem esse amanti, hero aequom censeo;
 Tamque imperium ediscat, ut quod frons velit, oculi sciant;
 Quod iubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
 Qui ea curabit, abstinebit censione bubula;

Qui amanti servit. Qui operam suam praestat hero amanti.

Si videt superare amorem. Supp. si videt [amorem] superare herum. Ital.:
Se vede che il padrone sia vinto, acciecatò dall'amore.

Retinere ad salutem. Retinere herum, ne praeceps eat. Nimirum hominem
 amantem pingit Plautus quasi sit in vertice montis, unde praeceps agatur ab amore.

Quo incumbat. Quo est inclinatus.

Illo. Illuc.

Pueris quasi. Quemadmodum pueris.

Scirpea induitur ratis. Pueri nare discentes muniuntur rate scirpea. Ital.:
sono provveduti di una zatta di giunco.

Toleret. Supp. ut. Ad eos sustentandos ne mergantur in aquam, ne pereant.
 Translate dicimus *tolerare vitam* pro eo quod est *sustentare vitam*.

Servum ratem esse etc. Aequum censeo, servum, tamquam ratem, herum
 amantem regere. Namque *amantes*, quasi *amentes*, aliorum consilio et opera
 egent.

Tamque imperium ediscat, etc. Atque ita discat cognoscere imperium heri,
 ut oculi servi cognoscant quid frons heri velit.

Citis quadrigis. Quadriga, currus a quatuor equis tractatus, saepe usurpatur
 ad significandam celeritatem, propterea quod in circo quadrigae quam celerrime
 ferebantur. Haud abs re erit notare, quadrigam fere semper poni in numero mol-
 titudinis, rarius omnino in numero singulari.

Abstinebit censione bubula. Censio idem est atque animadversio, castigatio, ex
 eo dicta quod censores in eos animadvertabant, quos peccare in moribus cogno-
 vissent. Festiva est haec Plauti locutio, quae idem valet ac: non punitur loribus
 bubulis. Nos: *schiverà lo staffile*. Siquidem scutica et flagellum, qua cae-
 debantur servi, loribus coriaceis constabant. Illud autem notandum, servos romanos
 in levioribus peccatis caesos fuisse ferula, hoc est virga; in gravioribus scutica;
 in gravissimis flagello. Iuven. Sat. VI. 479: Hic frangit ferulas, rubet ille fla-
 gellis. Hic scutica.

Neque opera sua in splendorem rēdiget unquam conpedes. 15
 Nunc herus meus amat huius filiam Euclionis pauperis;
 Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Megadori dari:
 Id speculatum huc misit me, ut, quae fierent, fieret particeps.
 Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam sacra:
 Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier. 20

ACTVS IV — SCENA II.

EVCLIO, STROBILVS.

EVCLIO.

Tu modo cave quoiquam indicassis, aurum meum esse
 istic, Fides.
 Non metuo, ne quisquam inueniat: ita probe in lātebris
 situm est.

In splendorem rediget conpedes. Fuere conpedes vincula ex ligno aut ferro, quibus servorum pedes vinciabantur. Usurpat hic noster effectum pro causa, pro eo quod esset: nunquam conpedibus vincietur. Fit enim natura, ut quae frequen-
 tius adhibentur, in splendorem redigantur.

Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam. Fuere apud veteres arae publicae non modo in templis, sed et in plateis, in triviis et vicis. *Sine omni suspicione.* Fiebat enim saepe, ut servi peccantes a domino fugerent, et in ara adsiderent, quae erat tamquam perfugium totum, unde rei aut servi sine piaculo abstrahi non poterant. Quod si eos aliquando avelli necesse esset, ignis admovebatur. Sic eos non ab hominibus, sed a Deo divelli existimabant.

Arbitrarier. Interdum arbitrari idem valet ac speculari. Ital.: *spiare*, *osservare*: quemadmodum *arbitr* speculatorem, *arbitrium* pro pectum significat. Sic Horatius (Ep. I. 11. 26.), de loco, ex quo in mare prospectus esset. *Locus effusi late maris arbitr*.

Tu modo cave. Dum Strobilus in ara adsideret, speculaturus quid fieret, illac transit Euclio rediens a templo qui Strobilum non conspicatus, secum ipse loquebatur de aula abscondita; et quasi in Fidei templo adhuc versaretur, illam rogabat, ut nemini aulam indicaret. Veteres ut significarent, Fidem tectam et secretam esse debere, consueverunt eius signum albo panno velare; item qui ei sacrificabant, manu candido panno velata esse debebant.

In latebris situm. Positum, a verbo *sino*. Hinc mortui *si/i* dicebantur a veteribus, pro eo quod est *sepulchrum*.

Edepol nae illi pulcram praedam agat, si qui illam invenerit
Aulam onustam auri. Verum id te quaeso, ut prohibessis,
Fides.

Nunc lavabo, ut rem divinam faciam : ne adfinem morer, 5
Quin, ubi arcessat, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs
te auferam !

Tuae fide concredidi aurum ; in tuo luco et domo est situm. —

STROBILVS.

Dî immortales, quod ego hunc hominem facinus audivi loqui,
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano ! Fides, 10
Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris, quam mihi !
Atque pater hic, ut ego opinor, huius est, herus quam amat.
Ibo huc intro ; perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
Aurum, dum hic est occupatus. Id si reperero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam ; 15
Id adeo tibi faciam : verum ego mihi bibam, id ubi fecero.

Edepol etc. En avari ingenium ex vero effectum, de nulla alia re perpetuo cogitantis aut loquentis, nisi de thesauro suo.

Prohibessis... indicassis. Ἀρχαῖκῶς, pro eo quod est *prohibeas, indices.*

Tuae fide. Saepe veteres in fine vocabulorum litteram iota expungebant. Hinc *fide* pro *fidei* ; *senatu* pro *senatui*.

In tuo luco. Prope deorum et dearum aedes erat lucus, hoc est locus arboribus consitus, et numini sacer.

Mulsi. Mulsum dictum fuit a Latinis vinum melle admixtum ; potio antiquis locupletibus et delicatioribus maxime usitata. Hinc *mulsus*, *a*, *um* idem est ac *dulcis, suavis*. *Mulsa mea* erat amatoria appellatio blandientis. Itali : *mia dolcezza*.

Congialem fideliam. Fidelia fuit vasis genus, plerumque fictilis ; *congius* vero, mensura liquidorum. Fidelia congialis est quae congium continet.

Id adeo tibi faciam : verum ego mihi bibam. Haec profert servus iam laetitia gestiens, ob thesaurum, quo brevi potietur. Interdum particula *adeo*, ut in hoc quidem loco, significatione gaudet, quam intentivam grammatici vocant, uti apud Graecos γέ, et componitur proprie cum pronomibus, ut rem ante dictam maiori vi efferat, eamque auditori maxime spectandam proponat. *Id adeo*, τούτῳ γε, *id quidem* ; *nos : ciò appunto io farò per te*. Haud aliter III. 4. 12 : Ei

EVLIO.

Non temere est, quod corvos cantat mihi nunc ab laeva
manu.

Simul radebat pedibus terram, voce crocibat sua :
Continuo meum coroccoepit artem facere lūdīcrā,
Atque in pectus emicare. Sed ego cesso currere? — 20
I foras, lumbrīce, qui sub terra erepsisti modo;
Modo qui nusquam comparebas, nunc, quom compares, peris!
Ego pol te, praestigiator, miseris iam accipiam modis!

adeo obsoni hinc dimidium iussit dari. E per ciò appunto gli fece dare la metà delle vivande della sua casa. Cf. Curc. v. 3. 4; Poen. I. 2. 57; Terent. Hec. iv. 4. 68; Virg. Aen. xl. 275; Tull. Ep. ad Att. ix. 16: Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius: hanc adeo habebō gratiam illi.

Non temere. Itali: non a caso.

Ab laeva manu. Ex augurum disciplina, cantus corvorum a dextera, fausta portendebat; a laeva, infausta. Quare Euclio, audito sorte corvi cantu, qui esset in luco, statim suspicatur, sibi aliquod infortunium impendere, et fore ut aurum sibi surripiatur.

Crocibat voce sua. Nos: gracchiava a suo modo.

Occoeptit artem facere ludicram, atque in pectus emicare. Metaphora ducta a praestigiatoribus, seu ludionibus, qui saltare consueverunt. Itali: *cominciò il cuore a saltarmi in petto, e a palpitare.*

Sed ego cesso currere? Audito corvi cantu, quem haberet tamquam malum omen et indicium impendentis calamitatis, continuo Euclio currens redit in Fidei templum.

I foras, lumbrice. Euclio in templum reversus, ibique Strobilum servum videns, qui omnia sagacissime odoraretur, ut aulam reperiret, quam illic abstrusam esse audiverat, in iram conversus, conviciis et verberibus eum ex templo extrudere conatur, atque *i foras, lumbrice*, exclamat. Duplici vero causa Euclio Strobilum lumbricum appellat; tum quod repente apparuisset in luco vel templo, ut lumbrici solent, qui subito e terra erepunt, tum quod in terram fortasse inclinat, omnes angulos pervestigaret, ac manibus fortasse terram raderet, aulam effossurus. Praeterea Romani ad contemptum *lumbricos* appellabant repentinos homines, qui ex imis sordibus ad summas dignitates evolassent.

Nunc, quom compares etc. Nunc quod compares, te morti dedam.

Praestigiator. A praestringendo dictus, extrita litera r, euphoniae causa. Est autem qui circumstantibus ita oculorum aciem praestringit, ut dolum non advertant. Ital.: *giocolare, impostore.*

Miseris te accipiam modis. Nos: *ti acconciarò pel di delle feste.*

STROBILVS.

Quae te mala crux agitat? Quid tibi mecum est commercii,
senex?

Quid me affligas? quid me raptas? qua me causa verberas? 25

EVCLIO.

Verberabilissime, etiam rogitas, non fur, sed trifur?

STROBILVS.

Quid tibi subripui?

EVCLIO.

Redde huc, sis!

STROBILVS.

Quid tibi vis reddam?

EVCLIO.

Rogitas?

STROBILVS.

Nil equidem tibi abstuli.

EVCLIO.

At illud, tibi quod abstuleras, cedo.

Ecquid agis?

*Quae te mala crux agitat? Nos: Qual diavolo mai ti strascina?
Quid tibi mecum commercii? Quid tibi est mecum? Itali: Che hai tu a
fare con me?*

*Affligas? Afflictare idem valet quod impellere huc atque illuc. Ital.: far
urtare qua e là. Nos Subalpini: bulonè.*

Raptas? Invitum trahis. Translate: conviciaris.

Verberabilissime. Dignissime qui verbereris. Nos: spalle da bastone.

*At illud, quod tibi abstuleras. Avarus, utpote homo suspiciosissimus, putat,
Strobilum iocari in voce tibi. Namque duplici sensu accipi potest: Nil tibi ab-
stuli: non ti ho rapito niente, vel non ho rapito niente per
utile tuo. Quare statim subiicit: At cedo mihi, hoc est da mihi quod abstu-
leras usus tui gratia, per tuo vantaggio.*

*Cedo. Manat a graeco δῶς (aor. 2. modi imper. verbi δίδωμι,) cui praeponi-
tur particula ce, ut in adverbio ceterum (ce ἕτερον). Est autem verbum defe-
ctivum, videlicet forma peregrina personae secundae modi imperativi, quae signi-
ficat dic vel da. Illud mihi da, quod pro te abstuleras. Cf. Plaut. Amph. II. 2.
446; Mostell. I. 3. 150; Terent. Hec. IV. 4. 86.*

STROBILVS.

Quid, quid agam?

EVCLIO.

Auferre non potes.

STROBILVS.

Quid vis tibi?

EVCLIO.

Poned!

STROBILVS.

Equidem pol datare credo consuetum, senex. 30

EVCLIO.

Pone huc, sis! aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.

STROBILVS.

Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine.

Non hercle equidem quidquam sumsi nec tetigi.

EVCLIO.

Ostende huc manus.

STROBILVS.

Hem tibi ostendo, eccas.

EVCLIO.

Video. Age, ostende etiam tertiam.

Poned! — *Equidem pol datare etc.* Hic primum omnium in memoriam tibi redigas velim, lector, quam improbum ac petulans esset servorum ingenium apud Romanos; deinde aio, quidpiam obscenum latere in hisce verbis Plautinis. Sensus autem obscenior latet praesertim in voce *pone*, quam tamquam verbum usurpat Euclio, Strobilus autem uti adverbium quod valet *a tergo*.

Aufer cavillam, hoc est relinque iocos: *lascia gli scherzi*, *le so-fisticherie*.

Quin tu eloquere, etc. Cur non vocas aperte suo nomine quidquid est? Nimirum voluisset Strobilus, aulam nominari a sene.

Eccas. Ecce eas.

Ostende etiam tertiam. Confirmaturus noster quam miser sit avarus, perpetua auri cura exagitatus, eum spectatoribus exhibet veluti mente deturbatum, qui ne oculis quidem suis credat, et iam ferme nesciat quid loquatur.

STROBILVS.

Larūae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem. 35
Facin' iniuriam, an non ?

EVCLIO.

Fateor, quia non pendes, maxumam.
Atque id quoque iam fiet, nisi fatere.

STROBILVS.

Quid fatear tibi ?

EVCLIO.

Quam abstulisti hinc.

STROBILVS.

Dii me perdant, si ego tui quidquam abstuli.

EVCLIO.

Neve adeo abstulisse velim. — Agedum, excutedum pal-
lium . . .

Laruae atque intemperiae. Larvis atque intemperis agitari idem valet ac mente motum esse per occursum larvarum. Hinc larvatus. *spiritalo*. Nos: *Questo vecchio per fermo è fuor di cervello*.

Facin' iniuriam, etc. Italice: *Questo si chiama ingiuriarmi io?*

Fateor, quia non pendes, maxumam. Iniuriam maximam, fateor, tibi facio, quia non pendes. Ut huiusce locutionis sensum assequamur, sciendum est, apud Romanos, servos solitos fuisse pendere ad trabem, dum loris caederentur. Hinc Plautus (Asin. III. 3. 26.) herum inducit servo suo dicentem: *O Libane, ut miser est qui amat!* Servus autem respondet: *Imo hercle vero qui pendet, nullo est miserior.* Quapropter *quia non pendes* interpretaberis: *quia non verberaris.*

Id quoque iam fiet. Hoc etiam accidet, ut verbereris.

Quam abstulisti. Suppone: eam ollam, quam abstulisti.

Neve adeo abstulisse velim. Haec quidem verba addit Euclio, quae voluisset ultro dici a servo. Nimirum, quum Strobilus tantummodo negasset, se quidpiam abstulisse, Euclio statim subdit: *neque vellem abstulisse*, ut significet, sibi persuasum esse, servum, nisi abstulit, at saltem voluisse auferre. Hic animadvertant rursus latinae rationis studiosi, eleganter cum verbo *volo* usurpari tempus praeteritum perfectum pro praesenti: *neve adeo auferre vellem*. Causa huiusce dictionis est, quod voluntas, quam quis haberet quidpiam faciendi, pertinet ad tempus praeteritum.

Excutedum. Particula *dum*, quae a Latinis coniungitur cum verbis modi imperativi aut cum adverbis, habet interdum vim excitandi, uti: *adesdum*, italice: *su via vien qua*. *Excutedum pallium*: *su via scuoti quel pallio*.

STROBILVS.

Tuo arbitrato.

EVCLIO.

Ne inter tunicas habeas !

STROILVS .

Tenta qua lubet. 10

EVCLIO.

Vah, scelestus quam benigne ! ut ne abstulisse intelligam.
 Novi sycophantias. Age, rursus ostende huc manum
 Dexteram.

STROBILVS.

Hem !

EVCLIO.

Nunc laevam ostende.

STROBILVS.

Quin equidem ambas profero.

Pallium fuit Graecis, quod Latinis toga. Memento, lector, hanc fabulam esse *palliatam*, hoc est graeco fonte manasse, ac propterea graecae vestis morem a poeta servari.

Ne inter tunicas habeas ! Animadvertenda hic singularis significatio particulae *ne*, quae in familiari sermone respondet illi Italorum formulae: *Che non l'abbi per avventura sotto la tonaca !* Neque absurdum erit supponere verbum *metuo*, quod Graecorum more saepe omittitur ante particulam *ne*. T. Liv. II. 3 : Per aliquot dies ea consultatio tenuit; *ne* non reddita belli causa, reddita belli materia et adiumentum essent. Cf. Caes. B. C. I. 71 ; Tacit. Ann. I. 47. Ceterum tunica erat vestis interior, quam domi gestabant, cuique, domo exeuntes Graeci superimponebant pallium, Romani vero togam. Euclio autem mente motus, qui iam tertiam manum postulaverat, *tunicas* pro *tunica* memorat; quod sane pertinet ad caveam exhilarandam.

Tenta, qua lubet. Ital.: *visita, tocca dove ti piace.*

Quam benigne ! Supp. loquitur. *Come parla dolce !*

Sycophantias. Usurpatur saepe a comicis haec vox pro qualibet fallacia.

Ambas. Utramque manum simul.

EVCLIO.

Iam scrutari mitto. Redde huc.

STROBILVS.

Quid reddam?

EVCLIO.

Au, nugas agis!

Certe habes!

STROBILVS.

Habeo? quid ego habeo!

EVCLIO.

Non dico: audire [']expetis. 45

Id meum quidquid habes, redde.

STROBILVS.

Insanis: perscrutatus es

Tuo arbitrato, neque tui me quidquam invenisti penes.

EVCLIO.

Mane, mane: quis illic est, qui hic intus alter erat tecum
simul?

Perii hercle! ille nunc intus turbat; hunc si amitto, hinc
abierit.

Iam scrutari mitto, etc. Haec verba mirum in modum avari anxietatem prodant, qui postquam perscrutatus esset suo arbitrato, nec quidquam invenisset, ad pristinam petitionem redit, et rogat ut aulam reddat.

Au vel hau. Hac interiectione utimur, quum quidpiam praeter expectationem aut nimium aut incredibile ab aliquo dici aut fieri miramur cum quadam indignatione. Cf. Plaut. Stich. I. 3. 404; Terent. Eun. iv. 3. 14; iv. 4. 13; v. 2. 60; Heaut. v. 3. 13, alibique passim.

Mane, mane. Quum Strobilus discedere se ex templo simularet: Mane, mane, exclamat Euclio. Nos: *aspetta, aspetta*.

Quis illic est? Nemo alius illic erat praeter Strobilum; sed homo avarissimus tuta etiam timet.

Ille nunc intus turbat. Itali: *Quell'altro, che era qui dentro mi affanna*.

Si amitto. Si abire sino.

Postremo hunc iam perscrutavi; hic nihil habet. Abi quo
lubet. 50

Iupiter te dîque perdant!

STROBILVS.

Gratias agis haud male.

EVCLIO.

Ibo intro, atque illi socienno tuo iam interstringam gulam.
Fugin' ab oculis? abin' hinc, an non?

STROBILVS.

Abeo.

EVCLIO.

Cave, sis, revideam! —

STROBILVS.

Ecmortuom ego me mavelim leto malo,
Quam non ego illi dem hodie insidias seni! 55
Namque hic iam non audebit aurum abstrudere:
Credo, ecferet iam secum et mutabit locum.
Attat, foris crepuit! senex eccum aurum ecfert foras!
Tantisper ego hinc ab ianua concessero.

EVCLIO.

Fide~~ec~~censebam maxumam multo fidem 60
Esse: ea sublevit os mihi penissume.

Postremo etc. Ital.: *alla fin fine*. Haec secum Euclio.

Gratias agis haud male. Ital.: *mi ringrazii daddovero*.

Socienno tuo. Veteres sociennum posuerunt pro socio.

Insidias dem. Rarior dictio, pro eo quod esset: *insidias struam*.

Foris crepuit. Ianua strepitum edidit. Hoc ex more Atheniensium dictum est. Quum enim apud illos fores aperirentur in viam (*verso la via*), ideo domo exituri, ne quem forte praetereuntem laederent, crepitum edebant, vel manus collidendo, vel ipsas fores percutiendo.

Multo maxumam. Vox multo redundat.

Fide — fidem esse. Ludit in verbis Plautus, quum ait: Ego censebam, Fidel maximam esse fidem.

Sublevit os. Os sublinere frequens apud Plautum occurrit, pro eo quod est *decipere*. Haec autem dictio derivatur a genere ludi, quo dormientibus ora pin-

Ni subvenisset corvos, periissem miser.
 Nimis hercle ego illum corvom, ad me veniat, velim,
 Qui iudicium fecit, ut ego illice aliquid boni
 Dicam: nam quod edit, tam duim, quam perduim, 65
 Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
 Silvani lucus extra murum est avius,
 Crebro salicto oppletus: ibi sumam locum.
 Certum est, Silvano potius credam, quam Fide.

STROBILVS.

Euge, euge, dî me salvom et servatum volunt! 70
 Iam illuc praecurram, atque inscendam aliquam in arborem:
 Inde observabo ego, aurum ubi abstrudat senex.
 Quamquam hic manere me herus sese iusserat,
 Certum est, malam rem potius quaeram cum lucro.

guntur. Huiusce lusus exemplum habes apud Virg., Eclog. VI, in qua pueros quosdam inducit, qui necti Silenum ebrium et dormientem in antro, ei frontem et tempora sanguineis moris pingunt.

Penissime. Syncope adverbii *penitissime*.

Illum corvom, ad me veniat; velim. Nota syntaxin rariorem, pro eo quod est: velim, corvus ad me veniat.

Illice. Archaism. illi.

Ut aliquid boni dicam. Animadvertenda est vox *dicam*, quae mirum in modum confert ad avari tenacitatem significandam. Non cupit aliquid *dare* corvo, sed *dicere*. Nos: *affinchè io gli possa dire alcuna buona parola*.

Quod edit, tam duim, quam perduim. Quid quid dederò, perdam. Itali: *tanto dato, tanto perduto*. Duim, perduim. arch. dem, perdam.

Silvani. Silvanus, dens habebatur praeses silvarum, pecorum et agrorum.

Lucus avius. Remotus a via, *bosco fuori mano*.

Extra murum. Supp. urbis: in suburbio.

Sumam locum. Eligam locum.

Euge, a graeco *εὖγε* laetitiā semper significat, cui interdum adiuncta est admiratio vel laus. Hec Strobilus sibi gratulatur de consilio invento. *Euge, euge;* nos: *bene, benissimo*.

Malam rem. Nos: *il mio malanno*.

ACTVS IV. — SCENA III.

STROBILVS.

Picos divitiis, qui aureos montis colunt,
 Ego solus supero: nam istos reges ceteros
 Memorare non volo, hominum mendicabula:
 Ego sum ille rex Philippus. O lepidum diem!
 Nam ut dudum hinc abii, multo adveni illuc prior, 8
 Multoque prius me conlocavi in arborem;
 Inde expectabam, ubi aurum abstrudebat senex.
 Ubi ille abiit, ego rae deorsum duco de arbore;
 Ecfodio aulam auri plenam; inde exeo. Eloco
 Video se recipere senem; me illic non videt. 10
 Nam ego non me declinavi paulum extra viam.
 Attat, eccum ipsum! Ibo, hoc uti condam domum.

Picos divitiis. Haec verba profert Strobilus servus iam redux e luco lactilia gestiens ob repertum Euclionis thesaurum. Picos aiunt fuisse veteres quosdam populos, quos poëtae fabulati sunt, in montibus hyperboreis aurum effodere.

Hominum mendicabula. Homines mendicos, si cum me conferantur.

Ego sum ille rex Philippus. Intellige Philipbum, Macedonum regem, Alexandri patrem, qui maximis opibus abundabat. Veteres quum aliquem opulentum vellent nominare, *Philipbum* aut *Attalum* aut *Croesum* reges memorabant. Notandum hic pronomen *ille*, quod a Romanis ἐμφατικῶς fuit usurpatum, quemadmodum apud Italos *l'articolo* il. Ego sum ille rex Philippus. Nos: *io sono veramente il re Filippo*.

O lepidum diem! Diem fortunatum!

Expectabam. Spectabam. Cf. Men. V. 1. 1.

Duco me deorsum de arbore. Pro vulgari: descendo ex arbore.

Eloco. Forma contracta verborum *e loco*, pro adverbio posita, quae idem valet ac *statim*, *confestim*; haud aliter atque apud Graecos αὐτόθεν.

Illic non videt. Ille me non videt.

Non paulum me declinavi etc. Multum recessi a via.

Ibo, hoc uti condam. Haec ait Strobilus δεικτικῶς, indicando videlicet aulam quam gestaret.

ACTVS IV. — SCENA IV.

EVCLIO.

Perii ! Interii ! occidi ! Quo curram ? quo non curram ? Tene,
tene !
Quem ? quis ? Nescio, nil video, caecus eo, atque equidem,
quo eam
Aut ubi sim aut qui sim, nequeo cum animo certum in-
vestigare.
Obsecro vos ego, mihi auxilio (oro, obtestor !) sitis, et ho-
minem
Demonstretis, qui eam abstulerit ! 5
Quid est ? quid ridetis ? Novi omnis : scio, fures esse hic
compluris
Qui vestitu et creta occultant se, atque sedent, quasi sint
frugi !

Perii ! interii ! etc. Avarus paullo post quam in luco Silvani aulam abstru-
serat, thesauri anxietate laborans, illuc rediit, ut inviseret, num omnia salva es-
sent. Sed praeter opinionem animadvertit, aulam sibi fuisse surreptam ; ac pro-
pterea veluti amens currensque vociferatur, exclamat : *perii ! interii ! occidi !*
Quae dicendi ratio perfamiliaris est Plauto et Terentio, quotiescumque loquen-
tem aliquem inducunt spe omni deiectum.

Tene, tene ! Est clamor insequentis furem, et quemque obvium colloquentis.

Quem ? quis ? Subint. quemnam teneo ? quis surripuit ?

Certum investigare. Nequeo certo scire.

Quid est ? quid ridetis ? Haec verba convertit avarus ad spectatores, propte-
rea quod omnes, uti fit, illius animi perturbationem riderent.

Novi omnis. Vi conosco tutti.

Qui vestitu et creta etc. Ut sensum huiusce dictionis penitus assequamur,
nonnulla sunt praemittenda, quae pertinent ad Romanorum mores. Horum vestis
erat toga ex lana alba ; sed qui honores et magistratus peterent, album illum
togae colorem in splendorem redigebant, addita creta apud fullones, quorum id
erat artificium. Isque color togae *candidus* dicebatur ; quique toga illa cretata
et candida essent induti, *candidati* appellabantur. Pers. Stat. v. 177. : Ius ha-
bet ille sui palpo ; quem ducit hiantem *Cretata* ambitio ? Iamvero huiusmodi
candidati, quo facilius honores impetrarent, miram speciem probitatis, continen-

Quid ais tu? Tibi credere certum est: nam esse bonum,
e vultu cognosco. —

Hem, nemo habet horum? — Occidisti! — Dic igitur,
quis habeat! Nescis?

Heu me miserum! misere perii! 10

Male perditu', pessume ornatus eo:

Tantum gemiti et malae moestitiae hic dies mihi obtulit,
Famem et pauperiem! perditissimus omnium egosum in terra!

Nam quid mi opust vita, qui tantum perdidit auri,
Quod custodivi sedulo? Egomet me frudavi 5

Animumque meum Geniumque meum!

Nunc eo alii laetificantur, meo malo et damno! Pati nequeo!

tiae et industriae prae se ferebant. Hinc iam cuique patet, quid sibi velit Euclio quum ait: Scio, fures esse hic complures, qui occultant se vestitu et creta; nimirum scio, complures hic esse, qui improbi sunt, etiamsi induantur toga cretata, et prae se ferant speciem integritatis, quemadmodum facere consueverunt candidati, magistratus petentes. Erit igitur italice: *che si nascondano sotto candida veste, e sene stanno qui sedendo, come se fossero uomini dabbene*. Quae verba avari, mente deturbati, caeveae risus excitant.

Quid ais tu? Ex abrupto ad alium sibi forte oblatum se convertit Euclio, dicens, velle se ei fidere, quod bonum e vultu eum cognoscat.

Nemo habet horum? Quasi hic respondisset Euclioni, neminem horum habere aulam; *occidisti!* exclamat: *mi hai morto!*

Male perditus. Valde perditus.

Pessume ornatus eo. Pessime ornatus sum. *Son ridotto a pessimo partito.*

Frudavi Genium meum! etc. Genius erat deus, in cuius tutela quisque natus erat et vivebat. Iamvero diem natalem, Genio sacrum, amplioribus epulis celebrare solebant Romani. Hinc factum est, ut *genius* usurpetur pro appetitu epularum, gula. Hinc *genio indulgere, darsi bel tempo*. Hinc parasites *genium suum* vocabant illum a quo saepe vocabantur ad coenam. Hinc december mensis dicebatur *acceptus geniis*, quod illo mense erant Saturnalia, et crebra convivia. Hinc demum *genium habere* dicebatur qui splendide et laute vivebat. E contrario *genium fraudare*, qui necessaria naturae negabat. *Fraudavi Genium* etc. Nos: *mi toglieva dalla bocca i bocconi, mi negava il necessario*.

Nunc alii eo laetificantur. Alii gaudent avaritia mea.

Pati nequeo. Nequeo durare, vivere. In toto hoc Euclionis soliloquio adeo mo-

ACTVS IV. — SCENA V.

LYCONIDES, EUCLIO.

LYCONIDES.

Quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur
moerens?

At hic quidem Euclio est, ut opinor. — Oppido ego inter-
rii ! palam est res.

rata est oratio, tamque avaro conveniens, ut nihil omnino verius, nihil aptius fingi a poëta aut excogitari possit.

In hac scena comico illo artificio utitur Plautus, quod ad conciliandam fabulae attentionem, atque exhilarandos animos potissimum confert. Ἀμφιβολίαν. Graeci vocant, *ambiguum* Latini, nos *equivoco* appellamus. Quod quidem, artificium in eo positum est, ut duae personae ita colloquentes inducantur, ut unius verba ab altera in aliam plane sententiam detorqueantur, atque omnes expectabant. Ex hoc diverbii genere salsum illud ridiculum existit, quod risum spectantium maxime movet. Ita, ad hunc locum quod attinet, quum Lyconides Euclionem esset conspiciatus, de infortunio suo insolabiliter dolentem, arbitratur, avari dolorem proficisci ex iniuria, quam ipse Phaedrae eius filiae intulisset. Quare ad Euclionem accedens, studet se se apud eum purgare de perpetrato flagitio. Sed Euclio, Lyconidis verba aliter omnino interpretatus, adolescentem reum habet surrepti thesauri. Hinc ambo diversi abeuntes, ea in medium adferunt, quae audientium hilaritatem praesertim excutiant. Qua quidem in re notanda est praesertim poëtae virtus, qui episodium Phaedrae tam artificiose fabulae adtexuit, ut ad praecipuum comoediae argumentum rectius explicandum, hoc est ad avari anxietatem magis magisque depingendam amice coniuret.

Eiulans conquerietur. Alta voce plorans conqueritur. Verbum *eiulare* profectum dicunt ab interiectione *hei*, quae dolorem significat. Hinc fit, ut nonnulli scriptum vellent cum aspiratione.

Oppido. Multum, omnino. Vetustior vox, poëtis comicis familiaris. Sunt qui putent, hoc adverbium manasse ex sermone inter se colloquentium quantam quisque frugem faceret. Quumque vellent multitudinem significare, aiebant: *quantum vel oppido satis esset*. Nos: *tanto che basterebbe per una città*. Hinc *oppido* coeptum est usurpari pro eo quod est *multum*. Verum huiusce rei fides penes auctores sit. Equidem Varroni (De ling. lat. iv, 32.) et Lindemanno assentior, testantibus, *oppidum* significare *firmum*, unde *oppido* pro

. Nunc mi
 incertum est,
 Abeam an maneam, an adeam an fugiam. Quid agam, ede-
 pol nescio.

EVCLIO.

Quis homo hic loquitur?

LYCONIDES

Ego sum miser.

EVCLIO.

Imo ego sum et misere perditus, 3
 Quoi mala tanta moestitudoque obtigit.

LYCONIDES.

Animo bono es.

EVCLIO.

Quo, ol. sacro, pacto esse possum?

LYCONIDES

Quia istuc facinus, quod tuom
 Sollicitat animum, id ego feci et fateor.

EVCLIO.

Quid ego ex te audio?

LYCONIDES.

Pol id, quod verum est.

EVCLIO.

Quid ego de ted, adulescens, merui mali,
 Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires li-
 beros? 10

eo quod est *firmiter*, *valide*. Hanc autem firmitatis notionem ad quamlibet rem magnam et gravem posse referri, satis abunde ostendunt adverbia *valde* et *fortiter*.

An adeam. An cum illo colloquar.

Imo ego sum et misere perditus. Hinc incipit ἀμφιβολία, qua Euclio moestitiam suam repetit a surrepto thesauro; Lyconides vero a suo flagitio.

Quia istuc facinus; etc. Crescit gradatim ambiguum, quo fit ut spectatores intenti et solliciti expectent, quo res tandem evadat.

Perditum ires liberos. Hoc nomine *liberi* utuntur Latini, vel quum de uno

LYCONIDES.

Deus impulsor mihi fuit;

EVCLIO.

Quomodo?

LYCONIDES.

Fateor, me peccavisse, et me culpam conmeritum scio;
Id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas mihi.

EVCLIO.

Cur id ausus facere, ut id, quod tuom non esset, tangeres?

LYCONIDES.

Quid vis fieri? Factum est illud: fieri infectum non potest. ¹⁵
Deos voluisse credo: nam ni vellent, non fieret, scio.

EVCLIO.

At ego deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem!

LYCONIDES.

Ne istuc dixis!

EVCLIO.

Quid tibi ergo meam, me invito, tactio est?

LYCONIDES.

Quia vini vitio feci.

tantum filio aut filia sermo sit. Praeterea *liberorum* appellatione continentur etiam nepotes et pronepotes.

Deus impulsor. Intellige Cupidinem, a quo impulsus fuit ad puellae iniuriam, vel etiam Bacchum; nam vinolentus erat.

Culpam conmeritum. - *Commereo* et *commereor* fere in malam partem accipiuntur a Latinis pro eo quod est *admitto*, *committo*. Ovid. Fast. I. 362: Quid bos, quid placidae *commeruistis* oves?

Animo aequo. Benigno, benivolo.

Deos voluisse credo. Frivola sese purgantis verba, qui culpam suam in deos confert. Quod tamen in hoc loco salse ponitur a poëta. Pertinet enim ad caveae risum.

In nervo te enicem. Nervus saepe ponitur pro vinculis et compedibus, quibus improbi servi, vel obaerati, vel fures apud Romanos constringebantur.

Dixis. Sync. Dixeris.

Meam tactio est. Ambiguum positum in pronomine *meam* et in voce *tactio*. Haec enim Euclio ad ollam refert; Lyconides vero ad puellam.

Vini vitio feci. Euclio haec audiens, existimat, Lyconidem aulam surripuisse, ut ei suppeteret pecunia, quam in ganeis absumeret.

EVCLIO.

Homo audacissime,
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, Inpu-
dens? 20

Nam si istuc ius est, ut tu istuc excusare possies,
Luce claro deripiamus aurum matronis palam;
Post id, si prehensi simus, excusemus: ebrios
Nos fecisse Nimis vile est vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti inpune facere, quod lubeat, licet.

LYCONIDES.

Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam.

EVCLIO.

Non mi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgant.
Tu illam scibas non tuam esse: non attactum oportuit.

LYCONIDES.

Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor, quin eam
Ego habeam potissimum.

EVCLIO.

Tun' habeas, me invito, meam? 30

LYCONIDES.

Haud te invito postulo; sed meam esse oportere arbitror.

Istacin'? Istane?

Luce claro. Lux, quum diem significat, a veteribus interdum usurpatur in masculino genere.

Si prehensi simus. - *Prehendere* et *deprehendere* pertinent proprie ad fures, qui in ipso actu opprimuntur, ut neque fugere, neque inficiari possint. Nos: *se saremo colti in sul fatto.*

Nimis vile. Vile est quod parvo pretio emitur, vel quod est contemnendum.

Ob stultitiam meam. Criminis extenuandi causa *stultitiam* appellat Lyconides iniuriam Euclionis filiae illatam.

Haud causificor. Causas in medium non affero, ne ipsam habeam. Non recuso quin eam habeam. Itali: *non adduco pretesti per non tenermela come mia.*

Tun' habeas etc.? Pro futuro: habebis. Nos eleganter utimur infinito: *Tu averla mal mio grado?*

Meam esse oportere arbitror. Romanis legibus cautum erat, ut qui civem Romanam viasset, eam indotatam duceret, nisi vellet capitis accusari.

Quin meam invenies, inquam, illanc esse oportere, Euclio.

EVCLIO.

Iam quidem hercle te ad praetorem rapiam, et tibi scribam dicam,

Nisi refers!

LYCONIDES.

Quid tibi ego referam?

EVCLIO.

Quod subripuisti meum.

LYCONIDES.

Subripui ego tuom? Unde? Aut quid id est?

EVCLIO.

Ita te amabit Iupiter, 35

Ut tu nescis!

LYCONIDES.

Nisi quidem tu mihi, quid quaeras, dixeris.

EVCLIO.

Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi Te abstulisse.

LYCONIDES.

Neque edepol ego dixi, neque feci.

EVCLIO.

Negas?

Invenies. Intelliges.

Te ad praetorem rapiam. Minus proprie utitur hac dictione Plautus. Et fortasse non sine causa; ut perturbatum videlicet Euclionis animum significet. Aio minus proprie: namque ex legibus xii Tabularum licebat ducere ad praetorem, non rapere. Tunc solum homini licebat rapere, et invitum ducere aliquem ad praetorem, quum ille iam antestatus esset, hoc est testibus iam usus fuisset, qui eius vocationem in ius possent apud praetorem confirmare.

Scribam dicam. Iudicialis locutio, graeco fonte profecta.

scribere dicam idem valet atque actionem intentare. Nos: *ti muoverò una lite.*

Quod subripuisti meum. Haec tandem verba finem faciunt τῇ ἀμφιβολίᾳ, qua hactenus poëta est usus, ut spectatores laetificaret.

Ita te amabit Iupiter! Vox imprecantis.

LYCONIDES.

Pernego immo: nam neque ego aurum, neque isthaec aula
quae siel,
Scio, nec novi.

EVCLIO.

Illam, ex Silvani luco, quam abstuleras,
cedo! 40

I, refer! dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es, molestus non ero furi. I, refer!

LYCONIDES.

Sanus tu non es, qui furem me voces: ego te, Euclio,
Alia de re rescivisse censui, quae ad me attinet,
Magna, quam ego tecum otiose, si otium est, cupio loqui.

EVCLIO.

Dic bona fide: tu id aurum non subripuisti?

LYCONIDES.

Bona.

Pernego. Particula *per* vim auget; quasi dixisset: prorsus nego.

Dimidiam partem dividam. Te ne darò la metà. Differunt latine inter se voces *dimidiatus* et *dimidius*. Nimirum *dimidiatus* dicitur de re aliqua in duas partes divisa, uti: *pirum dimidiatum, una pera divisa in due parti.* *Dimidius* vero de parte altera rei ipsius, bifariam divisae. Ita: *pirum dimidium, la metà di una pera.* Paucis, *dimidiatus*, idem ferme valet ac *divisus*, et utramque rei partem significat; *dimidius* unam tantum partem. Praeterea optimi quique scriptores vocem *dimidius* fere coniungunt cum voce *pars*, ita ut elegantius scribatur *dimidia pars libri*, quam *dimidius liber*.

Alia de re rescivisse etc. Ad verbum *rescisco* quod attinet, omnino audiendus A. Gellius, Noct. Attic. II. 19. Ait enim: verbum *rescire* vim habet propriam quandam, non ex communi significatione ceterorum verborum, quibus eadem particula *re* imponitur; neque ut *rescribere, relegere, restituere* dicimus, itidem *rescire*. Nimirum *rescire* non significat aliquid rursus scire, sed is dicitur proprie *rescire*, qui factum aliquod occultius, vel inopinatum insperatumque cognoscit. Hinc proprie Plautus: *te rescivisse alia de re*, hoc est *te cognovisse* Phaedrae filiae flagitium, quod occultum erat.

Quae ad me attinet. Vide adnot. ad III. 8. 28.

Dic bona fide. Sincere.

EVCLIO.

Nec scis quis id abstulerit?

LYCONIDES.

Istuc quoque bona.

EVCLIO.

Atque si scies,

Quis id abstulerit, mi indicassis?

LYCONIDES.

Faciam.

EVCLIO.

Neque partem tibi

Ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies?

LYCONIDES.

Ita.

EVCLIO.

Quid si fallis?

LYCONIDES.

Tum me faciat, quod volt, magnus Iupiter. 50

EVCLIO.

Sat habeo. Age nunc, loquere quod vis.

LYCONIDES.

Si me novisti minus,

Istuc quoque bona. Subaud. istuc quoque dico bona fide.

Indipisces. Assequeris, capies. Alii legunt: *inde petes.*

Neque furem excipies? - *Excipere* hic idem valet ac *recipere*, *celare*. Itali: *nè nasconderai il ladro?*

Tum me faciat etc. Supp. *de.* Pro vulgari: Tum me Iupiter omnipotens puniat.

Si me novisti minus. Adverbium comparativum *minus* ponitur saepe pro particula negativa *non*, maxime in formula conditionali *si minus*. Notandum tamen hoc adverbio quidpiam minus significari quam negatione *non*. Siquidem coercetur negatio comparatione, quae subauditur: ex. gr. *minus quam decet*. Quare *si me novisti minus*, idem est ac *si me non satis novisti*. Nos: *S'è non mi conosci abbastanza*. Ceterum Lyconides, lenita aliquantulum Euclionis perturbatione, Phaedram sibi sponsam tandem petit ab Euclione.

Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus avoncu-
los;

Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides;
Mater est Eunomia.

EVCLIO.

Novi genus: nunc, quid vis, id volo
Noscere.

LYCONIDES.

Ex te filiam tu habes.

EVCLIO.

Imo eccillam domi.

LYCONIDES.

Eam tu despondisti, opinor, avunculo meo.

EVCLIO.

Omnem rem tenes.

LYCONIDES.

Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.

Gnatus. Perfamiliaris est Plauto haec vox, quae perraro occurrit apud Horatium, nunquam ferme apud reliquos optimae notae scriptores. Quapropter haud absurde hunc dixeris idiotismum popularem.

Hic mihi etc. Quispiam fortasse quaerat, cur Lyconides utatur pronomine demonstrativo *hic*, quum Megadorus illic non adesset. Responsum in promptu est. Nempe haec verba profert Lyconides digitum intendendo in proximas Megadori aedes; quasi diceret: mihi est avunculus Megadorus, qui hic commoratur.

Ex te filiam. Supp. natam.

Renuntiare repudium. Repudium renuntiare vel remittere est cum desponsa futurum matrimonium dirimere: *rompere i patti stretti colla fidanzata*. Quare differt *repudium* a *divortio*. Illud renuntiat spon-sae; hoc sit cum uxore. Ad uxorem vero quod attinet, non dicimus *remittere repudium*, sed *nuntium remittere*, vel etiam absolute *repudiare*. Hinc translate *nuntium remittere* usurpatur de quacumque re quam deserimus; uti nuntium remittere studiis, virtuti, amori, etc. Praeterea alia fuit apud Romanos *repudii* formula, alia *divortii*. Quum enim repudium sponsae renuntiarent, aiebant: *conditione tua non ulor*. Ital.: *non accetto più il tuo partito*. Ubi vero nuntium uxori remitterent: *res tuas tibi habeto*, vel *res tuas tibi agito*.

EVCLIO.

Repudium rebus paratis, exornatis nuptiis?

Ut illunc dî immortales omnes deaeque, quantum est, per-
duint,

Quem propter hodie auri tantum perdididi, infelix, miser! 60

LYCONIDES.

Bono animo es! benedice! Nunc, quae res tibi et gnatae tuae
Bene feliciterque vortat.... Ita dî faxint, Inquilo.

EVCLIO.

Ita dî faciant!

LYCONIDES.

Et mihi ita dî faciant! Audi nunc iam.

Qui homo culpam admisit in se, nullus tam parvi preti,
Quom pudet, quom purgat sese: nunc te obtestor, Euclio, 65

Si quid ego erga te inprudens peccavi aut gnatam tuam,

Ut mi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges iubent.

Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuae,

Cereris vigiliis,

EVCLIO.

Hei mihi, quod facinus ex te audio?

LYCONIDES.

.

70

Deaeque, quantum est. Pro vulgari: deae quotquot sunt. Sic Catullus, Carm.
III. 2: *Quantum* est hominum venustiorum.

Infelix, miser! Huiusmodi synonyma saepe usurpat Plautus, ut perturbatum
avari animum depingat.

Benedice! Ἀρχαῖκῶς pro benedic. Hic vero *benedicere* est bona verba dicere,
idest boni ominis; quod Graecis est εὐφημεῖν.

Quae res tibi etc. Solemnis formula, qua utebantur Romani quotiescumque a-
liquid gravius esset faciendum vel publice, vel privatim.

Culpam admisit in se. Eleganter, pro eo quod est peccavit.

Nunc te obtestor. In narrationibus commode per particulam *nunc* fit transi-
tus ad aliam rem.

Ut leges iubent. Hoc pertinet ad ea, quae supra iam memoravi, legibus nempe
sanctum fuisse, ut si quis civem romanam vitiasset, teneretur eam indotatam
ducere.

.

Ea re repudium remisit avonculus causa mea.

I intro; exquire, sitne ita, ut ego praedico.

EVCLIO.

Perii oppido!

Ita mihi ad malum malae res plurimae se adglutinant. 75

Ibo intro, ut, quid huius reii sit, sciam.

LYCONIDES.

Iam te sequar.

Haec propemodum iam esse in vadum salutis res videtur.

Nunc servom esse ubi dicam meum Strobilum, non reperio;

Nisi etiam hic operiar tamen paulisper; postea intro

Hunc subsequar: nunc interim spacium ei dabo exquæ-
 rendi 80

Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu: ea rem novit.

ACTVS IV. — SCENA VI.

STROBILVS, LYCONIDES.

STROBILVS.

Dii immortales, quibus et quantis me donatis gaudiis!

Quadrilibrem aulam auro onustam habeo: quis me est ditior?

Se adglutinant. Accedunt.

In vadum salutis res etc. Vadum, locus est in mari aut flumine, ubi: qua brevis sit, et pedibus transiri possit. Quare translate *res est in vado* idem valet ac *sum in tuto*. *Sono in salvo*. Hisce aliisque id genus translationibus, prae reliquis scriptoribus, saepe utuntur comici poëtae, quo propius ad familiarem dicendi rationem accedant. Illud enim est verissime dictum, plures tropos pronuntiari a muliercula in foro, quam ab oratore in rostris.

Pedisequa. Serva quae dominam extra aedes comitatur.

Dii immortales, etc. in hac scena Strobilus servus spectatur domo adveniens, ubi aulam absconderat, et secum ipse loquens.

Quis me Athenis nunc mage quisquam est homo, quoi dī
sint propitii?

LYCONIDES.

Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus
sum.

STROBILVS.

Hem,

Herum ego adspicio meum?

LYCONIDES.

Strobilum video ego hunc, servom meum? 3

STROBILVS.

Ipsus est!

LYCONIDES.

Haud alius est!

STROBILVS.

Congrediar.

LYCONIDES.

Contollam gradum.

Credo ego illum, ut iussi, eampse anum adiisse, huius nu-
tricem virginis.

STROBILVS.

Quin ego illi me invenisse dico hanc praedam atque elo-
quor?

Igitur orabo, ut manu me mittat. Ibo atque eloquar.

Athenis. Ubi fingit poëta fabulam doceri.

Certo enim. Idem significat quod *enimvero*, et graviolem habet affirmandi vim, quam simplex particula *certo*. Cf. Amph. I. 1. 75; Asin. III. 24.

Vocem me audire visus sum. Animadvertite, lector, casum quartum *me*, a com-
muni latinae syntaxis regula abhorrentem.

Ipsus est! Nos: *è d e s s o*.

Congrediar. Colloquar.

Contollam gradum. Ad eum appropinquabo.

Quin dico atque eloquor? *Perchè non gli scopro e gli rac-
conto?*

Igitur orabo. Ponimus igitur, quum ex rebus ante dictis aut cogitatis quid-
piam colligimus. At saepe in colloquiis, brevitatis causa, pars prior argumenta-

Reperi....

LYCONIDES.

Quid reperisti?

STROBILVS.

Non, quod pueri clamitant 40

In faba se reperisse.

LYCONIDES.

Iamne item, ut soles, deludis?

STROBILVS.

Here, mane: eloquar iam: ausculla.

tionis omittitur. Quo facto, igitur inservit affirmationi, atque idem ferme sonat ac profecto, sane. – Igitur orabo, ut manu me mittat. Nos: *Si, lo pregherò a darmi la libertà*. Haud aliter apud Tullium (De rep, I. 39.) quum Scipio dixisset: *Quin tu igitur concedis idem in republica, singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos?* Laelius respondet: *Adducor igitur ut propemodum assentiar*. Ital.: *Si, quasi m'induco ad acconsentire*.

Ut manu m: mittat. Apud Romanos olim moribus fuit receptum, ut servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium, quod si exsolvisset, liber esset. Id autem pretium erat vel ex peculio servi, vel ex lucro adventitio. Qua de re legimus apud Tullium (Philipp. VIII. 11.), raro apud Romanos evenisse, ut captivi, si frugi et diligentes essent, ultra quinquennium servitutem paterentur. *Manu autem mitti* servus dicebatur, quum dominus aut caput eius servi aut manum tenens, coram praetore dicebat: *Hunc hominem liberum esse volo*, eumque manu emittebat.

Non quod pueri clamitant etc. Dictio est proverbialis, qua utebantur Romani in illos, qui res nullius momenti a se inventas, tamquam raras ostentabant. Quare quum Strobilus velit significare, se neque parvam rem, neque levem reperisse, ait, se invenisse aliquid maius, quam quod pueri clamitant se reperisse in faba. Proverbialem hanc locutionem dicunt ex eo esse profectam, quod pueri romani solerent in fabis vermiculum quaerere, quem Midam appellabant; quo invento, ut puerorum est, exsultabant, et veluti triumphum agebant, perinde ac si rem aliquam pretiosam reperissent.

Iamne item etc. Hic particula *iam* velocitatem irae et vehementiam indignationis significat. Cf. Bacchid. II. 2. 25; Epid. I. 1, 23; Tibull. Eleg. II. 5. 48.

Eloquar iam. Saepe *iam* usurpatur de re proxime futura, et de tempore instante, pro eo quod est *mox, statim, tandem*. Sic Horat. Od. I. 4. 16: *Iam te premet nox*; Tibull. I. 1. 70: *Iam veniet tenebris mors adoperta caput*; Virg. Aen. IV. 566: *Iam mare turbare trabibus..... videbis*.

LYCONIDES.

Age ergo, loquere.

STROBILVS.

Reperi hodie,

Here, divitias nimias....

LYCONIDES.

Ubinam?

STROBILVS.

Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam!

LYCONIDES.

Quod ego facinus audio ex ted?

STROBILVS.

Euclioni huic seni subripui.

LYCONIDES.

Ubi id est aurum?

STROBILVS.

In arca apud me: nunc volo me emitti manu. 15

LYCONIDES.

Egone te manud emittam, scelerum cumulatissime?

STROBILVS.

Abi, here! scio quam rem geras! lepide hercle animum
tuom tentavi!

Iam ut eriperes, adparabas: quid faceres, si reperissem?

LYCONIDES.

Non potes probasse nugas. I, redde aurum.

Arca. Saepe ponitur pro receptaculo nummorum. *Cassa, scrigno.*

Abi. Vox indignantis.

Scio, quam rem geras! Scio quidnam propositi habeas! Itali: *Conosco
a tua intenzione!*

Animum tuom tentavi. Animi tui periculum feci. Nos: *ho fatto proua
dell'animo tuo.* Festive omnino in hac scena Strobilum inducit poëta prince
fatentem factum, postea vero negantem; unde solum diverbium existit inter he-
rum et servum. Ex hoc autem diverbio improbum servorum ingenium apparet.

Non potes probasse nugas. Ital.: *Non puoi darmene ad in-
tendere.*

STROBILVS.

Reddam ego aurum ?

LYCONIDES.

Redde, inquam : huic ut reddatur.

STROBILVS.

At unde ?

LYCONIDES.

Quod modo fassus es 20

Esse in arca.

STROBILVS.

Soleo hercle ego garrere nugas : ita loquor.

LYCONIDES.

At scin', quomodo ?

LYCONIDES.

Vel enica hercle ! hinc nunquam a me feres !

— — — — quod non habeo.

LYCONIDES.

*Feram**Velis, nolis ! quin te quadrupedem strinxero.*

Quod modo fassus es. Particula *modo* indicat tempus tam proximum, ut ferme pro praesenti haberi possit. Nos : *pur dianzi*.

Nunquam a me feres ! Hic finis es Plautinorum verborum. Namque temporis iniuria, extrema pars intercidit huius fabulae, in qua complurium personarum mores graphice expressit poëta. In his recensendi praesertim mores hominis avari, qui perpetuis anxietatibus et curis torquetur; mores servorum improborum, rapacium, mendacium; mores coelibis, qui multus est in enumerandis malis, quibus viri ob uxores affligari consueverunt. Hinc autem satis perspicuum arbitror, quaenam sit Plautinae comoediae indoles, quaenam Sarsinatis scribendi ratio, ubi nativus ille candor praesertim elucet, quo noster ceteros scriptores romanos longe videtur superasse.

Quae desiderantur ex hac comoedia supplevit ANTONIVS CODRVS VRCEVS, Bononiensis olim professor, et aequalis impp. Sigismundi et Friderici III Aug., qui versibus centum duobus et viginti docet, quemadmodum Lyconides, promissa libertate, aurum a Strobilo servo extorserit; quod aurum una cum Phaedra filia avarus Euclio tandem cedit Lyconidi. Quamquam vero Codrus Vrceus Plautinum colorem sollerter est imitatus, attamen ab eius supplemento illustrando mihi plane abstinendum putavi.

.
 *Sed cur in fauces moror*
Huius scelesti ruere? et animam protinus
Cur non compello facere iter praeposterum?
Das, an non?

STROBILIVS.

Dabo.

LYCONIDES.

Des ut nunc, non olim, volo.

STROBILIVS.

Do iam: sed me animam recipere sinas, te rogo.
Ah, ah! quid, ut dem, poscis, here?

LYCONIDES.

Nescis scelus?

Et auri plenam quadrilibrem aulam mihi
Audes negare, quam te dixisti modo
Abripuisse? heia, iam ubi nunc lorarii?

10

STROBILES.

Here, audi pauca.

LYCONIDES.

Non audio. Lorarii,

Heus, heus!

LORARIVS.

Quid est?

LYCONIDES.

Parari ego catenas volo.

STROBILVS.

Audi, quaeso! post me ligari iusseris
Quantum libet.

LYCONIDES.

Audio: sed rem expedias ocius.

15

STROBILVS.

Si me torqueri iusseris ad necem, vide,
Quid consequare: primum servi exitium habes;

Dein, quod concupisces, ferre non potes.

At si me dulcis libertatis praemio

Dudum captasses, iamdudum votis fores

20

Potitus. Omnes natura parit liberos,

Et omnes libertati natura student.

Omni malo, omni exitio peior servitus :

Et quem odit Iupiter, servom hunc primum facit.

LYCONIDES.

Non stulte loqueris.

STROBILVS.

Audi reliqua nunc iam :

Tenaces nimium dominos nostra aetas tulit,

Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos

Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,

Et sitibundos in medio Oceani gurgite.

Nullae illis sunt satis divitiae, non Midae,

30

Non Croesi ; non omnis Persarum copia

Explere illorum tartaream ingluviem potest.

Inique domini servis utuntur suis,

Et servi inique dominis nunc parent suis :

Sic neutrubi fit, fieri quod iustum foret.

35

Penum, popinas, cellas promptuarias

Occludunt mille clavibus parci senes,

Quae vix legitimis natis concedi volunt.

Servi furaces, versipelles, callidi,

Occlusa mille clavibus sibi reserant,

40

Furtimque raptant, consumunt, ligurriunt,

Centena nunquam furta dicturi cruce.

Sic servitutem servi ulciscuntur mali.

Risu iocisque. Sic ergo concludo, quod

Servos fideles liberalitas facit.

45

LYCONIDES.

Recte quidem tu ; sed non paucis, ut mihi

*Pollicitus. Verum si te facio liberum,
Reddes quod cupio?*

STROBILVS.

*Reddam, sed testes volo
Adsint. Ignosces, here, parum credo tibi.*

LYCONIDES.

Ut lubet; adsint vel centum; iam nihil moror.

50

STROBILVS.

*Megadore, et tu Eunomia, adeste, precor, si libet!
Exite! perfecta re mox redibitis.*

MEGADORVS.

Qui nos vocat? hem, Lyconide.

EVNOMIA.

Hem, Strobile, quid est?

Loquimini.

LYCONIDES.

Est breve quid.

MEGADORVS.

Quid id est?

STROBILVS.

Vos testes voco.

*Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero
Et trado Lyconidae, Lyconides manu
Mittit, iubetque iuris esse me mei.
Itan' spondes?*

55

LYCONIDES.

Spondeo.

STROBILVS.

Iamne audivistis hoc,

Quod dixit?

MEGADORVS.

Audivimus.

STROBILVS. .

Enim iura per Iovem.

LYCONIDES.

Hem, quo redactus alieno ego iam sum malo!

60

Nimis procax es. Quod iubet faciam tamen.

STROBILVS.

Heus tu, nostra aetas non multum fidei gerit:

Tabulae notantur; adsunt testes duodecim;

Tempus locumque scribit actuarius:

Tamen invenitur rhetor, qui factum neget.

65

LYCONIDES.

Sed me cito expedi, sis.

STROBILVS.

Hem silicem tibi.

LYCONIDES.

Si ego te sciens fallam, ita me eiiciat Diespiter

Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidem. Satis¹

Iam feci tibi?

STROBILVS.

Satis. Ut ego aurum apportem, eo.

LYCONIDES.

I Pegaseo gradu, et vorans viam redi.

70

LYCONIDES, STROBILVS, MEGADORVS,

EVNOMIA, EVCLIO.

LYCONIDES.

Grave est homini prudenti morologus nimis

Servus, qui sapere se plus volt hero suo.

Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,

Modo mihi apportet aulam auro puro gravem,

Ut Euclionem socerum ex luctu retraham

8

Ad hilaritatem, et mihi conciliem filiam.

.

*Sed ecce redit onustus Strobilus. Ut reor,
Apportat aulam. Et certe est aula, quam gerit.*

STROBILVS.

*Lyconide, porto inventum promissum tibi,
Aulam auri quadrilibrem. Num serus fui?*

10

LYCONIDES.

*Nempe. O dī immortales, quid video, aut quid habeo?
Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.
O Euclio, Euclio!*

MEGADORVS.

Euclio, Euclio!

EVCLIO.

Quid est?

15

LYCONIDES.

*Descende ad nos: nam dī te servatum volunt!
Habemus aulam.*

EVCLIO.

Habetisne, an deluditis?

LYCONIDES.

Habemus, inquam. Modo, si potis, huc advola!

EVCLIO.

*O magne Iupiter! o lar familiaris, et
Regina Iuno et noster thesaurarie
Alcide, tandem miserum miserati senem?
Oh, oh, quam laetis, aula, tibi amicus senex
Complector ulnis, dulci et te capio osculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O spes, o cor, luctum depulverans meum!*

20

25

LYCONIDES.

*Auro carere semper duxi pessimum
Et pueris et viris et senibus omnibus.
Pueros impie cogit indigentia,
Viros jurari, mendicari ipsos senes.*

At multo prius est, ut video nunc, supra 23
Quam quod necesse est nobis, auro opulescere.
Ileu, quantas passus est aerumnas Euclio
Ob aulam paulo ante a se deperditam!

EVCLIO.

Quoi meritas referam grates? an diis, qui bonos
Respectant homines? an amicis, rectis viris? 35
An utrisque? Utrisque potius et primum tibi,
Lyconide, principium et auctor tanti boni.
Hac ego te aula auri condono. Accipias libens:
Tuam hanc esse volo et filiam meam simul,
Praesente Megadoro et sorore eius, proba 40
Eunomia.

LYCONIDES.

Et habetur et refertur gratia,
Ut meritus es, socer exoptatus mi, Euclio.

EVCLIO.

Relatam mihi satis putabo gratiam,
Si donum nostrum et me ipsum accipias nunc libens

LYCONIDES.

Accipio, et Euclionis volo mea sit domus. 45

STROBILVS.

Quod restat, here, memento, ut liber nunc siem.

LYCONIDES.

Recte monuisti; esto merito liber tuo,
O Strobile, et turbatam iam intus coenam para.

STROBILVS.

Spectatores, naturam avarus Euclio
Mutavit: liberalis subito factus est. 50
Sic liberalitate ulimini vos quoque,
Et, si perplacuit fabula, clare plaudite.

Aliud supplementum hic habes, candide lector, quod complures editores, iam inde a saeculo xvi, mutilae huic comoediae adtexendum esse existimarunt, quodque MEVRSIVS, vir cl. ex codice quodam manu exarato descriptum, censuit a Plautino ingenio fuisse profectum.

LYCONIDES.

Quid istic? quoniam pervicus abdis — ! Non seram unquam?

STROBILVS.

Quod non habeo?

LYCONIDES.

Efferaris cave, ni actutum id auri est redditio seni!

STROBILVS.

Seu propensus libitinaris, sive pollinctorius

Efferar, nunquam dabo, ni noviter fodiam arrugiam.

LYCONIDES.

Vae capiti tuo!

STROBILVS.

Imo senecis et capitulo et pectori,

5

Qui aurum tantum perdidit!

LYCONIDES.

Quis reperit?

STROBILVS.

Quem reperisse vis.

LYCONIDES.

Quid id in arca habere subreptum autumavit.

STROBILVS.

Quam tibi

Pulcre conniveant, here, oculi, si id fatear factum tibi!

Tecum quod lusi, non par est serio praevertier.

LYCONIDES.

*At nunc iam ne me inritassis! redde! susque deque haud
agites! 10*

STROBILVS.

*Here, si id reperietur, certum est, gemina lancea confidentem
Te icere?*

LYCONIDES.

Redde!

STROBILVS.

Attat vis cassum!

LYCONIDES.

Redde!

STROBILVS.

Attat, incassum quaeris!

LYCONIDES.

Redde! Ego propero, ut, comitiis quid proxumis, videam.

Senex aulam

Auri perdidit: Megadorus repudium renuntiavit.

.

STROBILVS.

Here, quantum ego video, 15

Nemo benignior. Alii namque, quae inventa, occulunt vaniloqui,

Domi negant, et aliud post aliud, si qua opportunitas,

Harpagatum est sibi. Eleusina si siet, facilem deam

Credunt: si Cotytlo, non videre, quom batuat, volant;

Ita neque amicis neque cognatis neque dīs parcunt, dum sibi. 20

*Iste quidem, ne miserum faciat senem aut opulentam eius fa-
miliam,*

Auri plenam, onustam, grandem, aulam iubet referrier,

Ut se faciat olim miserum ac familiam. Ast partem mi ego

Impartirier malim, unde redimar. Quod vortat bene,

Picus sinistra cantitavit, qui auri custos traditur: 25

Ibo et aulam referam: quod mihi bene avis illaec occinat.



BIBLIOTECA DELLA GIOVENTÙ ITALIANA.

È una collezione de' migliori classici nostri, condotta con ogni diligenza, con note di parecchi valentuomini. Non si può aver a più buon mercato una biblioteca di tal genere; e raramente si veggono i classici pubblicati con tanta diligenza e perizia. P. FANFANI.

Alamanni, La Coltivazione; 30 . L. - 80	Guido, I fatti d'Enea; 8 . . . L. - 50
Alfani, Proverbi; 158 . . . » 1 -	Lemene, Dio; Sonetti ed Inni; 153 » - 50
Alighieri, La Div. Com. 3 v.; 4-6 » 2 -	Leopardi, Prose scelte; 85 . . . » - 80
Arici, Poemetti; 157 . . . » - 80	- Lettere scelte; 133 . . . » - 70
Ariosto, Le bel. dell'Orlando; 22 » - 70	- Poesie scelte; 125 . . . » - 75
Balbo, Vita di Dante, 2 vol.; 77-78 » 1 60	Lippi, Il Malmantile; 37 . . . » - 80
Bandello, Novelle scelte; 65 . . » - 80	Macchiavelli, Prose scelte; 26 . . » - 80
Baretti, Lettere, 2 vol. 41-42 . . » 1 40	Maffei, Storia della letter.; 1 . . » - 70
Bartoli, L'uomo di lettere; 110 . . » - 75	- La famiglia di Erlau, 148 . . » - 80
Bartol. (Fra) da S. Conc. Amm.; 123 » 1 -	- Vite di 17 Confess. v. 3 . . » 2 50
Belcari, Vita del B. Colombini; 62 » - 80	Manzoni, Borghi, ecc. Poes. sac.; 90 » - 75
Berni, Guadagnoli ed altri poeti; 109 » - 75	Marchetti, Poesie scelte; 118 . . » - 60
Bertola, Cento favole; 73 . . . » - 80	Metastasio, Drammi scelti; 17 . . » - 70
Bertolotti, Il Salvatore; 145 . . . » - 75	Monti, Poemetti; 24 » - 80
Boccaccio, Novelle scel., 2 v.- 18-19 » 1 20.	- Il Bardo della Selva Nera; 55 » - 80
Botero, Rag. di Stato, 2 v.; 46-47 » 1 20	- Scelta di componimenti; 56 . . » - 80
Bresciani, Saggio di voci tosc.; 113 » - 50	- I Poeti dei p. sec. della ling.; 95 » - 75
Caro, Lettere scelte, 2 v.; 59-60 » 1 -	Mordani, Uomini illustri; 126 . . » - 80
Caterina (S.), Lettere scelte; 105 » - 80	- Prose varie, 150 » - 75
Cavalca, Specchio di croce; 117 . . » - 80	Muratori, Cristianesimo felice; 134 » 1 -
- Vita di S. Paolo; 9 » - 40	Novellino (Il) annotato; 33 . . . » - 60
- Vita di S. Francesco; 21 . . . » - 70	Omero, Iliade (Monti,) 2 v.; 63-64 » 1 25
Cellini, Sua vita; 35-36 (in un vol.) » 1 50	- Odissea trad. dal Pindem.; 79-80 » 1 25
Cesari, Dissert. sopra la ling.; 100 » - 50	Pallavicino, Della Perfezione 154-55 » 1 50
- Le Grazie, dialogo; 101 . . . » - 60	Pandolfini, Governo della fam.; 76 » - 60
- Novelle morali; 12 » - 70	Paravia, Lettere alla madr.; 102-103 » 1 50
- Prose letterarie; 114 » - 75	Parini, Il Giorno e Poes. scelte; 34 » - 80
- Prose scelte, 2 v.; 44-45 . . . » 1 -	Passavanti, Lo specch., 2 v. 66-67 » 1 25
Chiabrera, Poesie liriche; 43 . . . » - 80	Pellico, Lett. al fratel. Luigi; 84 » - 75
Cilasio, Favole e sonetti; 99 . . . » - 80	- Lettere al P. Feraudi; 88 . . . » - 75
Colombo, Prose, v. 1°; 106 » - 80	Pergamino, Lettere; 112 » - 75
- Prose v. 2°; 107 » - 60	Perticari, Scrittori del 300; 94 . . » - 80
- Prose, v. 3°; 108 » - 60	- e Costa, Poesie 149 » - 75
Corro e Lessio, Vita e sanità; 122 » - 40	Petrarca, Rime scelte; 20 » - 70
- Dell'Elocuzione; 152 » - 60	Pignotti, Favole; 115 » - 60
Costanzi, Scisma d'Inghilt.; 81 . . » - 60	Pindemonte, Epis., serm., ec.; 120 » - 80
Costa Casa, Galat. uffici ed oraz. 29 » - 80	Polo, Il Milione; 50 » - 80
Costanzo, Stor. di Nap., 5 v.; 68-72 » 2 50	Porzio, Congiura dei Baroni; 96 . . » - 75
Dino Compagni, Cronaca Fior.; 40 » - 70	Puoti, Maniera d'imparare l'it. 151 » - 75
Esopo, Volgarizz. delle favole; 119 » - 60	Redi, Lettere scelte; 74 » - 75
Farini, Storia Romana; 4 v.; 129-32 » 3 -	Rucellai, ecc. Poemi georgici; 136 » - 70
- Storia Sacra 5 vol; 160-65 . . . » 3 50	Sacchetti, Novelle scelte; 7 » - 80
Filicaja, Poesie scelte; 61 » - 80	Sassetti, Lettere; 25 » - 80
Fiorentino, Novelle scelte; 121 . . » - 80	Segneri, L'Incredulo, 3 v.; 91-93 » 2 -
Fioretti di S. Francesco, 2 v.; 31-32 » 1 20	Sigoli, Viaggio in Terra Santa; 58 » - 80
Firenzuola, Prose purg., 2 v.; 27-28 » 1 40	Soave, Novelle; 111 » - 75
Galileo, Prose scelte; 57 » - 50	Sonetti e Canzoni a Maria SS.; 116 » - 60
Gambara, Rime e lettere; 135 . . . » - 70	Spelverini, Coltivazione; 122 . . . » - 80
Gelli, La Circe; 82 » - 80	Tagliazucchi, Ammaestr.; 159 . . . » - 75
- I Capricci del Bottai; 104 . . . » - 80	Tasso, Prose scelte, 2. vol.; 38-39 » 1 40
Gersen, Dell'Imitaz. di Cristo; 75 » - 80	- La Gerusalemme liberata; 10-11 » 1 -
Giambullari, Ist. d'Eur. 2 v.; 2-3 » 1 50	Tassoni, La secchia rapita; 23 . . » - 80
Giusti, Lettere scelte, 2 vol. 146-7 » 1 50	Varano, Le Visioni; 49 » - 80
Gozzi, L'Osservat., 4 v.; 51-54 . . » 2 50	Vasari, Vite dei pitt., 4 v.; 13-16 » 2 50
Granelli, Tragedie; 156 » - 75	Verri, Le Notti romane, 2 v.; 97-98 » 1 25
Grassi, Saggio intorno ai sinon.; 89 » - 75	Villani, La Cronica, 8 v. 137-44 » 4 50
Grazzini, Novelle scelte; 83 » - 75	Virgilio, Eneide trad.; 2 v. 86-7 » 1 -
Guidi, Poesie liriche; 48 » - 80	Zaiotti, Prose letterarie; 127-8 . . » 1 25

LINGUA LATINA.

*Cavallo, Grammatica latina in 8° L.	2	—
— Idem parte I.	1	—
— Idem, p. II. III.	1	—
*— Grammatica latina in 16°	1	50
Durando, Nuovo Donato	—	70
— Compendio di sintassi	—	40
— Vocab. latino italiano; v. 2	13	50
*— Detto legato	16	—
*— Nuovo Vocabolario	5	50
*— Detto rilegato fortemente	6	50
Giusti, Sintassi; p. t.	1	50
*Marengo In hist. litt. lat. introd.	—	60
*Pechenino Exercitationes lib. I	—	70
*— Idem, lib. II.	1	—
*Porretti, Prosodia latina	1	—
Vallaurii Latinae exercitationes	1	—
— Historia critica litter. latin.	1	50
— Epitome histor. gr. cum lex.	1	—
— » » romanae » »	1	50
— » » patriae » »	—	75
— Orationes; editio VI	2	—
— Inscriptiones. accedit epist.	2	50
— Opuscula varia	4	50
— De libris anthologicon acroasis	—	40
*Vannucci, Stud. sulla letter. lat.	4	50

SELECTA EX LATINIS SCRIPTORIBVS.

Caesaris De bello civili lib. I et II	—	30
— De bello gall. lib. I et II	—	20
Ciceronis Cato Maior	—	20
— Epistolae selectae lib. I	—	20
— » » » II	—	20
— Laelius sive De amicitia	—	20
— Philippica II in M. Ant.	—	50
— » III in M. »	—	15
— Tusculan. disput. lib. I	—	40
— Idem lib. II.	—	40
Curtii De rebus Alexandri M.	—	40
Horatii Odarum	—	30
— Satyrae et Epistolae	—	25
Lhomond Epit. Historiae sacrae	—	60
Livii Historiarum lib. I	—	40
— Idem lib. II.	—	50
— Idem lib. XXI, XXII	—	50
Lucretii De rerum natura	—	50
Nepotis Vitae imperatorum	—	60
Ovidii Selecta ex operibus	—	20
Palumbi Minerval	—	50
Phaedri Fabular. aesop. lib. I, II	—	15
— » etc. lib. III, IV, V	—	20
Plantii Trinumus	—	70
— Aulularia	—	70
— Captivi	—	75
Plinii Epistolae	—	20
Sallustii De coniuratione Catilinae	—	20
— De bello Iugurthino	—	35
— Idem cum notis Baccii	—	75
Taciti Vita C. Iulii Agricolae	—	20

Tibulli Carmina castigata	L.	—	50
Virgilio Aeneis	»	—	75
— Bucolica et georgica	»	—	25
*Phaedri Fabular. lib. quinque	»	1	—

LATINI CHRISTIANI SCRIPTORES.

Hieronymi (S.) De viris illustr.	»	1	—
Sulpicii Severi Historia sacra.	»	—	50
— Vita s. Martini	»	—	50

LINGUA FRANCESE.

Bosco, La jeunesse instruite	—	15
*Cormon e Manni, Diz. franc. Ital.	—	30
Pellico, Epistolario francese	—	—
Prusso, Corso di lingua francese	—	50
— Prontuario dei verbi franc.	—	50
Rossi, Principes d'éducation	—	—
*Wild, Manuale di corrisp. fran.	—	25

LINGUA ITALIANA.

Grammatiche e Dizionari.

Beccaria, Man. dei giov. stud.	—	50
— Saggio del giovane studioso	—	50
*Borgis, La lingua dell'agricoltore	—	60
Cerruti, Dizionario italiano	—	50
— Legato	—	—
Durando, Precetti elem. di lett.	—	60
— Del verso italiano	—	40
Franceschi, Dialoghi di lingua	—	—
*Gherardini, Supplem. al vocab.	—	30
*Gobio, Storia della letter. ital.	—	2
Martinengo, Della poesia italiana	—	—
*Musso, Primo libro di lettura	—	30

CLASSICI.

Alighieri, Rimario della Commed.	—	—
Belcari, Vita del B. Colombini	—	—
Caterina (S.), Otto lettere	—	—
Cento esempi edificanti	—	—
*Cesari, Vita di Gesù Cristo	—	—
— Detta in compendio	—	—
— Imit. di Gesù Cristo trad.	—	—
— Fiori di Storia Eccl.	—	—
*— Bellezze della Div. Can.	—	—
*Cronachetta, testo di lingua	—	—
*Da S. Concordio, Ammae	—	—
Della Casa, Il Galateo	—	—
— Il Galateo e degli	—	—
Gersenio, Imitaz. Volg.	—	—
— Della v. spir. vol.	—	—
Lessio, L'arte di gode	—	—
Manzoni, Inni Sacri	—	—
Raccolta di poesie in	—	—
*Segneri, Panegirici;	—	—
Tasso, La Gerusalem.	—	—
del Mella	—	—

Prezzo del presente: Cent. 7

Istitu

SCAFF

PALCH